Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

De Ciuilitate

MORVM PVERILIVM PER DESYD. Erasmum Roterodamum Libellus ab authore recognitus, & Scholijs illustratus, per Gisbertum Longolium Vltraiectinum.

Omnia fert Ætas.

ANTVERPIÆ.
Apud Michaelem Hillenium in Rapo. Anno.
M. D. XLIIII.

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN
Digitized by Google

ISBERTVS LONGO-
LIVS IVSTO ET CHRISTO-
phoro fraterculis S.

DVm ego uobis morem gerens, fratres suauissimi, & uestris precibus (quæ plurimum sane apud me possunt) plus æquo indulgens, χόλιον qualecunq; in libellũ de Ciuilitate morum paro, uidetis quantum nominis mei periculũ faciam quamq; ...sam calumniandi plærisq; materiam obijciam. Quid e... dicturi sunt ubi cognouerint intempestiuam meam auda... in arenam istam descendisse, quæ nisi à uersatissimis in... i authorum genere magistris occupari soleat? Quàm pu... naso suspendent, quum adolescentulum me nondum ui... annos natum in hoc scribendi genere stylum exercere ...m fuisse, quod maturimæ ætatis iudicijq; uiris solũ relin... ...r, uiderint? Non dubiũ, quin mox ex omnibus theatris ...ntientibus manibus explodar. Stat tamẽ hactenus firme ...l me sentẽtia, omnium æmulorum συρίγματα infracto ...o ferre, modo aliquis ex hoc libello usus ad uos perue... Vos itaq; lubenti animo operam hanc breuibus his ho... & uobis impẽsam suscipite. Et omnibus in hoc libello præ...tis animum formantes, ciuilem cum cuiusuis ordinis homi...ibus conuersandi consuetudinem à teneris imbibite.

Dispeream, si quid unquam honestius, aut amabilius studueritis. Valete,

Coloniæ Anno Domini.

M.D.XXX.

Digitized by Google

Desyd. Erasmus

ROTERODAMVS GENEROSO CVM primis & optimæ spei puero Henrico à Burgundia Adolphi principis Veriani filio S.

SI ter maximum illum Paulum non piguit omnia fieri omnibus, quò prodesse posset omnibus, quanto minus ego grauari debeo iuuandæ iuuentutis amore subinde repetere? Itaque quemadmodum pridem ad Maximiliani à Burgundia fratris tui primam adolescentiam memet accõmodaui, dum adolescentulorũ formo linguam: ita nunc, Henriæ suauissime, me ad tuam ætatem pueritiam, de puerorum moribus præcepturus: nõ quod tu hisce præscriptis magnopere egeas, primum ab incunabulis inter aulicos educatus, mox nactus Ioannẽ Crucium, tam insignem formã de rudis ætatis artificẽ: aut quod omnia quæ præscribemus ad te pertineant, & è principibus & principatui natũ, sed ut libentius hæc edisces oẽs pueri, q. amplissimæ fortunæ, summæq; spei puero dicata sint. Nec enim mediocre calar addet uniuersæ pubi, si cõspexerint heroũ liberos à primis statim annis diari studijs, & in eodem cum ipsis stadio currere.

SCHOLIA.

EThicus est totus libellus de puerorum ingenuorũ moribus, uirtutis incunabula, atque rudimenta docens. Τὸ πρέπον, quod ab honesto (Cicerone teste) nõ separatur, in omnibus actionibus seruandum præcipit. Est autem uel prima uirtutis & honestatis pars, tenere præcepta de mo-

Digitized by Google

ribus. Porrò cum & rustici & infœliciter educati suos habeãt mores, ãuilis uitæ cõsuetudo hîc disœnda proponitur, morũq; ãuilitas uocari potest, quæ sic appellata est, quia ãues, hoc est, qui ãuitatis habitant, ad humanitatẽ plerunq; & communẽ uiuendi cum honestate rationẽ rusticis exeratatiores sunt. Vnde tum apud Græcos q̃ Latinos ἀπὸ τοῦ ἄστυ καὶ πόλις, id est ab urbs & ãuitas, ἀστικὸς καὶ πολίτης, hoc est, urbanus & ãuilis dicta sunt. Extãt passim exẽpla apud authores quibus urbanorũ ingenia nobis patefiũt. Eupolis uirũ polypũ, hoc est, ad omnem uitæ rationem accommodatũ πολίτλω uocat

Ἀνὴρ πολίτης, πολύπους ἐς ὃ μ τρόπον.

Id est, Vir ãuilis qui moribus est polypus. Et quia astutiores sunt propter uaria hoĩm quibus cum cõuersantur ingenia & negotiorum contagia, iactatur ille senarius apud Suidam:

οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀστικὸς ἀνήρ.

Id est, Nihil cogitat æq urbanus uir. Rursus q̃ in agris degũt ob ruditatẽ malè audiunt. Vnde illud uulgare, nec multum à prouerbio dissidẽs: οὐδὲν ἐξ ἄγρου λέγεις. i. nihil ex agro loqueris, hoc est, sordidũ aut uulgare. Ergo ãuilitas morum à ãuibus dicta est. Si ter maximum.) Huius numeri adiectione & Græa & Latini uehementer significationẽ dictionis augent, τρὶς μέγιστος, id est, ter maximus, uide Prouerb. Chi. Ter. Omnia fieri omnib.) Argumentũ est à maiori. Atq; hic locus omnibus indoctorũ æmulorũ alumnijs (de quibus paulò post plura dicemus) iter præcludit. Subinde repuerasære) Repuerascunt senes, quum turpiter atque indecorè ad puerilia studia se deijãunt, atq; in his immodicè occupantur. ueluti si philosophus dispuiet aut α primum locũ in ordine literarũ habeat: Theologus ex numero epistolarũ D. Pauli mysteriũ

aliquot

aliquod uenetur: sicq; in alijs. Sed senes, qui βουλῆ καὶ μύθοισι τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων) ut apud Homerum Nestor iuuentuti consulere student, nobis repuerascere uidebuntur: nullus opinor tam frigidi cerebri erit, nisi plane σκαιότερος μονάχου sit, qui id confiteri ausit. Fuere tamen, quorum ineptam & loquacem temeritatem hic præterire nõ possum, quibus incomparabilis hic puerorum thesaurus quum primùm editus esset, ansam calũniandi authorẽ dedit. Deum immortalẽ, quo superalio Erasmum grãmaticum (nam Erasmũ theologũ dicere, apud eos uerecundum est, & capitali censura dignum) pro consuetudine sua damnarũt: iam apud oẽs, in quiunc, euulgatũ est, quod hactenus in hoĩe latuit: ô intempestiuã stultitiã, iam senex se ad pueros erudiendos demisit, nunc quasi Dionysius alter Corinthi omnibus illudendũ se proposuit. Hæc atq; alia ὀμφακώτερα crepitabant uentres isti. Liberet autẽ si liceret è sophis his quærere, quodnã esse senum officiũ putent, an potare in multã noctem, amicã emere, κυβεύειν πολύ, an iunẽtutem formare, amicos & Rempublicã consilio prudẽtiaq; iuuare? Craßi medius fidius iudices, ut ab oĩbus artibus, ita ab humanitate & communi uita alienißimi, quos utinã senes repuerascere, & pueros resenescere uideremus. Sed bonos istos partes scapharũ supplicio ter dignos Atæ cõmendemus, ne quispiam eos delirio detentos putet. Adolescẽtulorum formo linguam) Factũ hoc in dialogo lõgè eruditißimo, de recta Latini Græciq; sermonis pronũciatione. Est autẽ elegãtis usus in hoc sensu formare, pro instituere, Græciq; imitatio, Δίων κατασχηματίσας τὴν παιδίων γλῶσσαν πολλοῖς καὶ ἀγαθοῖς παιδεύμασι ἔθανε, id est, Dion formans puerorũ linguam multis & bonis artibus obijt. Quintilia. Ab illis quoque iam

Formare

ormandam quàm optimis institutis mentem infantium iudi-
at Vergilius quoq; de bobus:

Tu quos ad studium atq; usum formabis agrestem.
Iam uitulos hortare.

Primum inter aulicos educatus) Duo præcipua quæ ad fœli-
itatem eruditionis & probitatis momentũ maximũ sunt, enu
merat, primùm educationis curam, quæ in nobilibus & ditio-
ribus diligentissima esse solet: deinde doctum nancisci pædago
gum. His enim duobus contemptis, quis ignorat omnes artes
superioribus sæculis desciuisse à uetere gloria, non inopia ho-
minum, sed desidia iuuentutis, & negligentia parentum, adde
his inscitiam præcipiẽtium & obliuionẽ moris antiqui? Quæ
mala iam multos annos, orbẽ nostrũ occupauere, emendantur
tamen unnc paulatim, redituramq; breui speramus maiorum
circa educandos formãdosq; liberos seueritatẽ atq; disciplinã.
Doctè sanè Plutarchus ἐν τῷ περὶ παιδῶν ἀγωγῆς hac de
re disserit, ut apud Tacitum Messala, cuius quædam huc tran
scribere nõ inutile lectoribus fore duxi, non quod hic omnia
infarcire uelim, sed quòd omnibus notissima, quæ de ueterum
disciplina & educatione dicuntur, esse cupiam. Est autẽ locus
è dialogo de oratore: Iampridem suus cuiq; filius ex casta pa-
rente natus, nõ in cella emptæ nutricis, sed gremio ac sinu ma
tris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domum, & in
seruire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propin-
qua, cuius probatis spectatisq; moribus omnis cuiusdam fami
liæ soboles cõmitteretur, coram qua neq; dicere fas erat quod
turpe dictu, neq; facere, quod inhonestum factu uideretur. Ac
non studia moresq;, sed remissiones etiam, lususq; puerorum
sanctitate quadam, ac uerecundia temperabat. Sic Corneliam
Graccho-

Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Actiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Quæ disciplina ac seueritas eò pertinebat, ut syncera et integra, & in nullis prauitatibus detorta uniuscuiusq; natura toto statim pectore arriperet artes honestas, & siue ad rem militarẽ, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id uniuersum hauriret. Et paulò post. Ergo apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domestica disciplina refertus honestis studijs, deducebatur à patre, uel à propinquis ad eum oratorem qui principem locum in ciuitate tenebat, hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, utq; sic dixerim, pugnare in prælio disceret, magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum iudicij iuuenibus statim contingebat, in media luce studentibus, atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stultè aliquid, aut contrariè dicit, quod & iudex respuat, & aduersarius exprobret, ipsi denique aduocati aspernentur: Hactenus Tacitus. Ab incunabulis) Adagium est, explicatur in Chiliad. Calcar addet.) Translatio est ab equo calcaribus instigato. Nec enim mediocre.) Hoc est, alterum illud contentionis genus, quod tantoperè commendatur ab Hesiodo uate:

Εἰς ἕτερον γὰρ τίς τε ἰδὼν ἔργοιο χατίζων
Πλούσιον, ὅς σπεύδει μὲν ἀρόμμεναι ἢ ἢ φυτεύειν,
Οἶκόν τ' εὖ θέσθαι, ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων
Εἰς ἄφενον σπεύδοντ', ἀγαθὴ δ' ἔρις ἡδὲ βροτοῖσι.

Quæ sic possent ad uerbum reddi:

Si quis egens operis ditem sudore madentem
Vicinum aspiciens, & arantem, aruumq; serentem:

Quiq; domum instauret, sequitur fœlicia facta
Vicini uicinus, & hæc contentio frugi est.

TEXTVS.

Munus autem formandi pueritiã multis constat partibus, quarum sicuti prima, ita præcipua est, ut tenellus animus imbibat pietatis seminaria: proxima, ut liberales disciplinas & amet, & perdiscat: tertia est, ut ad uitæ officia instruatur: quarta est, ut à primis statim æui rudimentis ciuilitati morũ assuescat: Hanc postremã nunc mihi propriè sumpsi. Nam de superioribus quum alij cõplures, tũ nos quoq; permulta cõscripsimus. Quanquam aũt externũ illud corporis decorũ ab animo bene cõposito proficiscitur, tamen incuria præceptorũ nõnunq̃ fieri uidemus, ut hanc interim gratiã in probis & eruditis hominibus desideremus. Nec inficior hanc esse crassissimam philosophiæ partem, sed ea, ut sunt hodie mortalium iudicia, plurimùm conducit, & ad conciliandã beneuolentiam, & præclaras illas animi dotes oculis hominum commendandas. Decet autem ut homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, ac uestitu: sed in primis pueros decet omnis modestia, & in his præcipuè nobiles. Pro nobilibus autem habendi sunt omnes, qui studijs liberalibus excolunt animum. Pingant alij in clypeis suis leones, aquilas, tauros, & leopardos: plus habent ueræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

SCHOLIA.

Munus autem for.) Hactenus procemiũ, nunc ipsam rem aggreditur. Imbibat pietatis seminaria.) Hic instituendi mos qui religionẽ spectat, uetustissimus. Monuit hoc quisquis author est gnomici illius carminis, quod Pythagoræ nomine circumfer-

amfertur. Et Empedocles cùm auditoribus physicen traderet deorum religionem primùm commendatã esse uoluit, authore Plutharcho, sic enim incipit carmen: Πρῶτον θεὰ μαθεῖν. Quanquam autẽ externũ.) Videas quosdam optimæ indolis, & sic satis bonis artibus instructos adolescẽtes, quorũ si mores & suauem illam cum hominibus cõuersandi rationẽ examines, in medijs agris enutritos iurabis, uel quòd præceptoribus hæc disciplina morum contemnatur, uel quia ipsi (quales non paucos nouimus) immo destißimi & ἀγροικότατοι sint. Notum est Leonidæ Alexandri præceptoris ex Quintiliano uitium. Rectè ergo Græci præceperunt in sententijs.

Γράμματα μαθεῖν δεῖ, καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν. Id est,
Oportet adsint literæ & prudentia. Et:
Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις ἂν μὴ νοῦς πάρῃ. Id est,
Vt nil scientia est prudentia sine.

Extat inter epistolas Budæi una, ad Draconem filiũ, qua docet quàm utilis sit morum literarumq; coniunctio. Pro nobilibus autem habendi.) Cæco uulgi iudicio omnis diues nobilis est, hacq; una ratione censetur nobilitas, si uideant Thrasonem chlamydem militarem, frequentem adulatorum & canum turbam, atq; id genus alia, quæ in Nigrino, generoso illi ex sacculo obijcit Lucianus. Melius Homerus, qui in animo nobilitatem esse docuit. Non enim (ut Plutarchus ait) ea quæ ad corpus & fortunam referuntur, admodum magno studio digna æstimari iudicauit. Siquidem cùm magnates mutuo se salutantes & appellantes introducit, non diuites, non pulchros, non splendidè uestitos, non aurea torque spectabiles se compellari facit, sed hac egregia appellatione utuntur:

Διόγενες λαερτιάδη, πολυμήχαν ὀδυσσεῦ. Id est,

Quæ uera nobilitas.

Nate

Nate Iouis Laërtiade multiſcie Vlyſſes. Et:

Ἐκτωρ ὑὲ πριάμου δῖι μῆτιν ἀτάλαντε. Id eſt,

Heus Hector Priami, par conſilium dare diuis.

Optimè ſentit Menander, qui nobilitatem cum prudentia coniunctam fœliciſſimam iudicauit: citatur eius ſenarius à Plutarcho de auditione Poëtica:

Μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει. Id eſt,

Fœlix, abundans æris & prudentiæ.

Cuperē itaq; omnes illos qui nobilitate & diuitijs (his namq; ut baſi nititur nobilitas) ſe ubiq; iactant, uirtutis autem oſores maximi ſunt, illud Callimachi continēter in memoria habere.

Οὐκ ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν. Id eſt,

Haud claros facient homines uirtutibus abſq;

Diuitiæ.

Pingant alij in clypeis) Vetuſtiſſimū hoc nobilitatis indicium eſt, ut paſſim uidere licet apud Poëtas, atq; à dijs ipſis profectum. Pallas quo in bello formidabilior eſſet: Gorgonis ſerpētigerū caput proſcuto circūferebat: Bacchi galea, boum cornibus inſignita erat: Mars et Hercules leonis exuuias induebāt: Iouem cygni caput cum collo ornabat quæ ſucceſſoribus per manus tradita, nobilitatis, & quod ab heroibus nati eſſent ſpecimen dabant. ☞ TEXTVS.

Vt ergo bene compoſitus pueri animus undiq; reluceat (reluceat autem potiſſimum in uultu) ſint oculi placidi, uerecundi, compoſiti: non torui, quod eſt truculentiæ: non improbi, quod eſt impudentiæ: non uagi ac uolubiles, quod eſt inſaniæ: nō limi, quod eſt ſuſpicioſorum, & inſidias molientium: nec immodice diducti, quod eſt ſtolidorum: nec ſubinde conniuentibus genis ac palpebris, quod eſt inconſtantiū: nec ſtupentes, quod eſt at-

est attonitorum, id quod est in Socrate notatum: nec nimium acres, quod est iracundiæ signum, non innuentes ac loquaces quod est impudicitiæ signum: sed animũ sedatum ac reuerenter auriam præ se ferentes. Nec enim temerè dictum est, à priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidẽ ueteres nobis loquuntur, olim singularis eiusdam modestiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri, quemadmodum apud Hispanos quosdam, semipetos intueri blandum haberi uidetur, & auriam: Itidem ex picturis disimus, olim contractis strictisq; labijs esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habebitur. Quanquàm in his quoq; decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare. Iam sunt quidam oculorũ habitus, quos alijs alios addit natura, qui non cadunt sub nostras præceptiones, nisi quòd incompositi gestus non rarò uitiant, non solam oculorum, uerum etiam totius corporis habitum ac formam. Contra compositi, quod natura decorum est, reddit decentius: quod uitiosum est, si non tollunt certè tegunt minuuntq;. Indecorum est clauso oculorum altero quenquam obtueri. Quid enim hoc aliud est, quàm seipsum elusare. Eum gestum thynnis ac fabris relinquamus.

SCHOLIA.

Reluæt autem potissimum.) Tametsi Marcus Tullius uultum sæpe fallere, & Satyrographus fronti nõ esse fidendum, Martialis quoque: Nolite fronti credere (quia eam nemo non fingere potest) scripserint, optimum tamen & uerissimum animi testem & indicium esse, Biantis hoc monere poterat, qui semper uultum hominis inspiciendum præcepit. Nec aliunde etiam Pythagoras ingenium auditorum explorare consueuit,

Vultus animi index.

sueuit, ut author est Gell. lib. 1. cap. 9. sic enim ait: Iam à principio adolescentes qui se ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνώμονες. Id uerbum significat mores naturasq; hominum coniectatione quadam de oris uultusq; ingenio, deq; totius corporis filo atq; habitu sciscitari. Ipse etiam Cicero in oratione contra Pisonem: Oculi, inquit, supercilia, frons, uultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. Et Fabius sic de uultu sentit: Dominatur autē maximè uultus, hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam antequam dicamus. Hic est sæpe pro omnibus uerbis. Adde quod comicus uultum hominis fingere sœlus dicit. Non limis) Sic Chærea Terētianus, uim uirgini inferens. Interea somnus uirginē opprimit, ego limis aspecto, Satisne explorata sunt, uideo esse, pessulum ostio obdo, &c. Quo loco Donatus docet limis tueri, esse dissimulantium se uidere, quod uident. Et Pastor apud Vergilium dum insidias timet, transuersa tuetur hirquis. Gestus is etiam amātium est apud Theocritum ὄμμασι λοξὰ βλέπουσα, de meretricula. Nec conniuentibus genis. Aristoteles libro de animalibus author est, homines qui conniuent properantius, plerunque inconstantiores esse: rursus, qui rigidius, impudentiores. Nec stupentes.) Græci conniuere σκαρδαμυκτεῖν & σκάρδαμύττειν dicunt, & ἀσκαρδαμύκτους, qui nihil conniuent (Gellius inconniuentes transtulit) sed quasi affixis in rem quam aspiciūt, oculis stupidi persistūt. Id in Socrate notat.) Author est Gellius libro, 2. cap. 1. Stare, inquit, solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius atque pernox, à summo lucis ortu ad solem alterum orientem inconniuens, immobilis ijsdem in uestigijs, & ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus

Limi oculi.

Conniuentes.

Stupētes.

Socrates stupidus.

bundus, tanquã quodam secessu mentis facto à corpore. Nec iumiũ acres.) Acres dici puto, quos in iratis flagrantes & ardentes uocant, quales irati Agamemnonis ἰλιάδ. α.

Acres oculi.

Μέγα φρένες ἀμφιλάνται
πίμπλαντ' ὄσσε δ' ἔοι πυρὶ λαμπετόωντι ἐοικτον.

Irascentium siquidẽ flagrãt & emicant oculi, multus ore totum rubor, & æstuãs ab imis præcordijs sanguis. Quod Ouidius apertius significauit in Arte:

Ora tument ira, nigrescunt sanguine uenæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Miror autẽ cur Horus Appollonius libro secundo Hieroglyphicõn hominẽ acribus oculis impudentẽ uocet, quẽ Ægyptij per ranam significant: ὅυτος δ' inquit. ἄμμα ὀυκ ἔχει, εἰ μὴ ἐν μόνοις τοῖς ὀφθαλμοῖς, τοὺς δὲ ἐκεῖ ἄμμα ἔχοντας, ἀναισθήτους καλοῦσιν, διὸ καὶ ὁ ποιητὴς, ὀυνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο. Hæc enim sanguinem nõ habet, præter quam in oculis solis, quibus uero sanguis illic est, impudentes uocant, unde & Poeta: Ebrie, canis oculos habens, cor uero cerui. Nec innuentes ac loquaces. (Loquaces, nisi falsus sum Gellius ludibundos uocat. Nam cum uocẽ eius infractam capillumq; arte compositum, & oculos ludibundos, atq; illecebræ uoluptatis q; plenos uideret, &c. Nec enim temere dictũ est. Testis est Plinius lib. 11. cap. 36. Oculos unicolores nulli, cũ candore omnibus mediusculo differẽtes. Neq; ulla maiora indicia cũctis animalibus, sed maximè hoĩ, id est moderatiõis, clemẽtiæ, misericordiæ, odij, amoris, tristitiæ, letitiæ. Contuitu quoq; multiformes truces, torui, flagrãtes, graues, transuersi, limi, submissi, blandi. Profectò in oculis animus inhabitat. Similiter Fabius lib. 11. capite. 3. Sed in ipso uultu plurimum uaLoquaces oculi.

Animus in oculis.

lent

lent oculi, per quos maxime animus emanat, &c. Quemadmodum apud Hispanos.) Gaudent Hispani multum paruis oculis, præcipue Lusitani, hinc quando superciliа arctius & inæqualiter premunt petorum persimiles sunt. Dicuntur autem peti (ut inquit Acron) quorum oculi huc atq; illuc uelociter uertuntur. Porphyrion petos appellandos censet, qui oculis parum sunt declinatis. Alij petorum oculos tremulos esse uolunt: alij alterum altero minorem. Hinc semipeti, qui cum quadam uenustate, oculos leuiter declinando contorquent: uitium quidem, sed non inamabile. Talibus nanq; oculis Venerem & sculptam & pictam fuisse aiũt, unde à Priapæis peta appellatur. Fieri polypos. Vide Chiliades Polypi, & Polypi mentem obtine. Iam sunt quidam oculorum habitus.) Alijs nanq; grandiores, alijs paruos, alijs mediocres, alijs nimium prominentes, alijs conditos, modicæ sitos, alijs natura affinxit. Thynnis relinquamus.) Thynni pisces uelocissimi nomen habent, παρὰ τὸ θύειν, quod est, cum impetu ferri: de his Plinius libro nono, capite decimoquinto: Thynni dextra ripa intrant, exeunt læua. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernunt. Vtroque hebete natura. Volaterranus ex Athenæo scribit Æschylum & Aristotelem Thynno unum tantummodo oculum tribuere. Plura lege apud Erasmum in Adagio. Thynni more. Ac fabris.) Fabri omnesq; alij χειροτέχναι, cũ rei alicuius rectitudinem metiuntur, alterum oculum claudũt, ne uagantibus ambobus, rectitudo conturbetur. Hoc respexit Persius satyra prima.

Sãt tendere uersum,
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno:

Huc faciunt Problema. 2. & 5. sectio. 31. apud Aristotelẽ, cur

uno

uno oculo exquisitius cernatur.

TEXTVS.

Sint exporrecta superalia, non adducta, quod est torui-tatis: non sublata in altum, quod est arrogantiæ: non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

SCHOLIA.

Sint exporrecta superalia.) Non arbitror ab hoc alienã Aristotelis lib. 1. cap. 9. de animalibus de superalio sententiã: Superalia rectius porrecta, mollitiem animi, secundum nares inflexa, austeritatem non sine acerbitate, secundũ uero tempora, dissimulatorem animi, & derisorem: & omnino demissa inuidentem significant. Non sublata.) Plinius lib. 11. cap. 36. in superalijs fastus superbiæq; conceptaculum inesse testatur. Plura in Chilia. Attollere superalium.

TEXTVS.

Frons item hilaris & explanata mentem sibi bene consciã & ingeniũ liberale præ se ferẽs, nõ in rugas cõtracta, qđ est senij: non mobilis, qđ est erinaciorũ: nõ torua, qđ est taurorũ.

SCHOLIA.

Frons item hilaris.) Nobilis est sententia ueterum sophorum, quàm Medaurensis philosophus refert, liberum scilicet hominem, & qui magnificus censeri cupit, debere, si queat in primori fronte animum gestare. Et explanata.) Hilaritatis signum est, frons exporrecta: ut iustitiæ, contracta. Iuuenalis:

Scire uelim quare toties mihi Neuole tristis
Occurras fronte contracta.

Contracta frons.

Amphis quoq; comicus apud Laërtium.

ὡς οὐδὲν οἶσθα, πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον, ὥσπερ κοχλίας, σέμνος, ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς, Id est, ut nihil aliud nosti, quàm tristem esse solum, instar cochleæ cogitabundus,

contra

contracta frõte. Aristophanes in Lisistrata, τοῖζο ποιεῖν τὰς ὀφρῦς dixit, metaphora sumpta ab arcubus, quos cũ intẽdimꝰ incuruamus, & quasi corrugamꝰ: μὴ σκυθρώπαζ' ὦ τέκνον οὐ γὰρ πρέπει σοὶ τοῖζο ποιεῖν τὰς ὀφρῦς. Ne sis tristis nate, indecorũ tibi est corrugare frontẽ. Quod est senij. Hic à poetis senectus rugosa appellatur. Nõ mobilis, quod est erinaciorũ)

Erinacius

Erinaciorũ) Erinacius à Græcis ἐχῖνος appellatur, hic inter omnia animalia solus frontẽ mobilẽ habet: uallatꝰ undiq; spinosis aculeis est. Pli. huius animalis calliditatẽ in uenãdo cibo mirabilem prodit, etenim uolutatus supra poma iacentia spinis affixa unum nõ amplius tenens portat in cauernas arborum. Idem testatur Epigramma illud incerti authoris.

Κώμαυλος τὸν ἐχῖνον ἰδὼν ἐπὶ νῶτα φέροντα
ῥάγας, ἀπέκτεινεν τοῦδ' ἐπὶ θείλο πέδῳ.

Rusticus intuitus dorso uectare racemos,
Mox prope torcular cædit erinacium.

Est & piscis marinus hoc nomine. Quod est taurorum.) Magni nominis grammatici taurum à toruitate frõtis dictum uolunt: sed reclamat ταῦρος Græca uox melius qui à tauro toruũ & toruitatẽ declinant: sed hoc οὐδὲν πρὸς διόνυσον.

TEXTVS.

A naribus absit mucoris purulentia, quod est sordidorũ. Id quoq; uitium Socrati philosopho datum est probro. Pileo aut ueste emungi, rusticanum: brachio, cubitoue, salsamẽtariorum: nec multo ciuilius id manu fieri, si mox pituitam uesti illinas. Strophiolis excipere narium recrementa decorum, idq; paulisper auerso corpore, si qui adsint honoratiores. Si quid in solũ deiectum est, emũcto duobus digitis naso, mox pede proterendum est. Indecorũ est subinde cũ sonitu spirare naribus

bus, bilis id indicium est. Turpius etiam ducere ronchos, quod est furiosorum, si modo fiat usu. Nam spiritosis qui laborant orthopnoea, danda est uenia. Ridiculum naribus uocem emittere, nam id cornicinum est, & elephantorum. Crispare nasum, irrisorum est, & sannionum. Si alijs præsentibus incidat sternutatio, ciuile est corpus auertere. Mox ubi se remiserit impetus signare os crucis imagine: dein sublato pileo resalutatis qui uel salutarunt, uel salutare debuerant (nam sternutatio quemadmodum oscitatio sensum aurium prorsus aufert) precari ueniam, aut agere gratias. Alterum in sternutamento salutare, religiosum, & si plures adsint natu maiores, qui salutant uirum aut fœminam honorabilem, pueri est aperire caput. Porro uocis tinnitũ studio intendere, aut data opera sternutamentum iterare, nimirum ad uirium ostentationem, nugonum est. Reprimere sonitum quem natura fert, ineptorũ est, qui plus tribuunt ciuilitati quàm saluti.

SCHOLIA.

Socrati datum est probro) Thrasimachus apud Platonem libro de repub. 1. Socrati stuporẽ obijciens, optat illi nutricem, quæ nares illius extergeat: ὅτι σε, ἔφη, κωρυζῶντα περιορᾷ, καὶ οὐκ ἀπομύττει δεόμενον αὐτῆς. Quia te, inquit, muco oppletum non animaduerterit, nec emungit, cùm tamen ea indigeas. Verùm hoc uitij non à natura erat, sed maxima sibi patientia conciliauerat, ut qui in acutissimo gelu, & pruina glaciéq; albicante nudis pedibus, aperto capite, & quotidiano uestitui nihil accedente glaciem premeret. Quod illi & ab Aristophane obijcitur in nubibus: κᾷνυπόδητος κακὰ πολλ' ἀνέχει. Id est, & discalciatus mala multa tolerat. Salsamentariorum) In Chilad. Erasmi prouerbium, Cubito se emungere, à

Socrates mucosus.

Salsamentarij cubito se emũgunt.

lsamentarijs ductum docet: quibus mos est narium mucum ubito abstergere, nimirum manibus muria & sansugine op letis. Pituitam uesti illinas) inter mucum et pituitam parum ifferentiæ est, nisi quod mucũ crassiores, pituitam fluidas ma gis sordes interpretãtur. Catullus Poëta in epigrammate ad urium discernit ea, atque inter præcipuas nunditias retulit,

A te sudor abest, abest saliua.
Muccusq; & mala pituita nasi.

Græci modo μύξαν, modo κόρυζαν, è frigore destillantem in nares humorẽ appellant: & ἄμυξον, hominẽ mundas nares habentẽ, πολυμύξιον ecõtra, sordidũ. Strophiolis excipere) Strophium & strophiolũ, sudarium & sudariolũ, linteum et linteolum, confundunt passim Latini scriptores, pro eo quod Græcis dicitur καψιδρώτιον, apud Hesychiũ καψιδρόκιον habetur non sine menda στρόφιον autem, ut indicant meliora Græcorum lexica, cinguli genus est. Cum sonitu spirare naribus) Et in naribus iracundiæ indicia esse, Persiano illo probari poterit: Ira cadat naso rugosaq; sanna. Animalia uehementer spirantia iram concepisse, quotidiano experimento discimus. Et Poëta de equo classicum audiente:

Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumq; premens, uoluit sub naribus ignem.

Vide plura in hanc sententiam apud Erasmũ in Chiliadibus: Fames & mora, bilẽ in nasum conciũt. Si modo fiat usu) Nam stertentibus cõdonãda uenia. Ronchus aũt uerbale est à ῥέγχω, quod est inter dormiendũ uocem emitto. Martialis lib. 3.

Nos accubamus, & silentium ronchis
Præstare iussi nutibus propinamus.

Spiritosis) Spiritosi sunt qui ob facultates naturales læsas, frequentes

Digitized by Google

quentes trahunt spiritus: uocantur & suspiriosi. Græci ἀσθματικοὺς appellant. Orthopnœa autem species est suspirij, quum nisi recta cœruiæ, maximaq; difficultate spiritus trahitur: ab ὀρθὸν, quod erectum significat, & πνέειν, spirare. Cornicinum est) Siquidem qui cornu canunt, buccis cornu occupatis, spiritum per nares ducere coguntur. Et elephantorum) authore Plinio libro undecimo cap. 50. Elephas circa nares ore ipso sternutamento similem elidit sonum: per nares autem, tubarum raucitati. Alibi idem author elephantum pro boscide spirare prodidit, quam ipse manum uocat. Mandunt ore, inquit, spirant & bibunt, odorantq; haud improprie appellata manu. Crispare nasum) Crispare nasum apud Apuleium est. Horatius corrugare nasum dixit, pro eo quod Græci μυκτηρίζειν in eodẽ sensu dicunt. Persius hinc rugosam sannam finxit. Quòd autem naribus quempiam deridere possimus, lege prouerbium, Naso suspendere. Sensum auriũ prorsus auferre) In sternutatione commouentur & perturbãtur organa aurium, sonitus quoque maior est, quàm quicquam audiatur. In oscitatione maxillæ diductæ auditum comprehendunt. Lege Aristotelem Problemate. 29. & 44. sectionis decimæ tertiæ. Alterum in sternutamento) Plinius libro. 8. capite. 2. quo loco disquirit, num in medendo sit aliqua uis uerborum, inter alia etiam quærit, cur sternutantes salutamus: & mox adijcit: Aliquibus nomine quoque consalutare religiosius uideri.

Orthopnœa.

☞ TEXTVS.

Malas tingat natiuus & ingenuus pudor, nõ fucus aut ascititius color. Quanq̃ is quoq; pudor sic temperandus est, ut nec uertatur in improbitatẽ, nec adducat δυσωπίαν, aut stuporẽ, & quartũ, ut habet prouerbiũ, insaniæ gradũ. Quibusdam

nim hic affectus tam impotens insitus est, ut reddat deliranti millimum. Temperatur hoc malum, si puer inter maiores assuescat uiuere, & comœdijs agendis exerceatur. Inflare buccas, fastus indicium est: easdem dimittere, est animum despon entis: alterum Caimi est, alterum Iudæ proditoris.

SCHOLIA.

Δυσωπίαν) id est, inutilē & turpē pudorē. Δυσωπίαν ita Plutarchus περὶ δυσωπίας describit: ὡς τὴν κατήφειαν ῥίζονται λύπην κάτω βλέπειν ποιοῦσαν. οὕτω τὴν αἰσχυντηλίαν μέχρι τοῦ μηδὲν ἀντιβλέπειν τοῖς δεομένοις ὑπείκουσαν δυσωπίαν ὠνόμασαν. Id est, Quemadmodū κατήφειαν tristitiā cùm uultus demißione definiūt, ita uerecundiā cùm quispiā nō audet in faciē illorū quos oportebat respicere, δυσωπίαν nominarunt, uoce composita, ex ὠπή, & δυς particula, quæ difficultatem notat. Et quartum, ut habet prouerbium, insaniæ gradū) Erasmus in epistola quadā, de dysopia, ita scribit, quo loco obiter huius prouerbij meminit. Nulla uitia grauiorem afferunt perniciem, quàm quæ uirtutis specie fucantur. Quorum de genere est immodica uerecundia, quam Græci uocant δυσωπίαν. Atq; hoc noxium germen optimis quibusque ac generosißimis ingenijs potißimum innascitur, quod si ui tentes euellere, succedit aliud nocentius: si relinquas, multum malorum uīm secum inuehit. Cæterum si cauta moderatione corrigas, optimus est innocentiæ custos, ac uirtutum omnium uelut ornamentū. Et rectè quidem Aristoteles negat pudorem esse uirtutem, sed in adolescentibus actionem probam, bonæq; spei indolem arguentem. Ita comicus ille senex: Erubuit, salua res est. Verùm is si immodicus sit, celat uitia, ne poßint sanari, quemadmodum scripsit Flaccus: Incurata malus pudor

pudor ulcera celat. Et Plato censet hunc affectum, largioribus inuitatiunculis excutiendũ. Obstupefacit enim ingenij uigorem. Vnde prisci primũ insaniæ gradũ, quem gignere dicitur, strychnũ drachmæ pondere potũ, lusum pudoris uocauerũt. Nec rarum est cernere quosdã huiusmodi pudore sic delirãtes, ut mẽs abesse uideatur. Vide plura in prouerbio strychnum bibit. Inflare buccas, fastus indicium est. Vel Suida teste γνάθους φυσῶντες, ἐπὶ τῶν ἀλαζόνων καὶ ὑπεροπτικῶν. i. Buccas inflantes, de arrogãtibus, superbis, & fastuosis dicitur. Inflare buccas.

TEXTVS.

Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire: nec hiet, quod est morionũ, sed leuiter osculãtibus se mutuò labris coniunctũ sit. Minus etiam decorũ est subinde porrectis labijs ueluti poppysmum facere, quanquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus condonandum est: illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

SCHOLIA.

Nec hiet, quod est morionum.) Græci omnes stupidos & moriones mãmacuthos uocare solent, à Mãmacutho quodam fatuitate sola nobili, quem hiante semper ore fuisse ex Aristophane cognoscimus, nã ille κεχηνοταμαμμακοῦθον. i. hiantem Mammacuthũ facit. Porrectis labris ueluti poppysmũ facere.) ποππυσμὸς & πόππυσμα, est propriè sibilus illeoris & plausus manus cõcaue, qua leniter sonãdo, equos indomitos mansuefacimus, πρὰ τὸ ποππύζειν, quod est tenuissimam ædere uocem, & cum stridore inflare labra. Est autem fictum à sono. Sumitur quandoq; pro leniter inflare tibias calamosq;, ac instar puerorum arundine cantantium sonare. Theocritus in Hodeporico. Mãmacuthi. Poppysmus. πόππυζειν.

Δ οὐκ ἔτι σὺν κορυδῶνι
ῥηϊδ σοι καλάμαις ὄιλον ποππύσδεν ἔχοντι. Id est,
An non tibi cum Corydone
Compositis satis est tibijs stridere Menalca.
Vide politiani Miscellania cap. 32.

TEXTVS.

Si fors urgeat sternutatio, nec datur auerti aut cedere, strophio uoláue tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. Omnibus dictis aut factis arridere, stultorum est: nullis arridere stupidorũ. Obscœnè dictis aut factis arridere nequitia est. Cachinnus & immodicus ille totũ corpus quatiẽs risus, quem ob id Græci συγκρούσιον appellant nulli decorus est ætati, nedũ pueritiæ. Dedecet autem quòd quidã ridentes hinnitũ edunt. Indecorus & ille, qui oris rictũ latè diducit corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est, & Sardonius dicitur. Sic autem uultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorũ illæ uoces sunt, risu diffluo, risu dissilio, risu emorior, & si qua res adeò ridicula inciderit, ut nolentibus eiusmodi risum exprimat, mappa, manúue tegenda facies. Solũ, aut nullã euidentẽ ob causam ridere, uel stultitiæ tribuitur, uel insaniæ. Si quid tamen eiusmodi fuerit obortum, ciuilitatis erit, alijs aperire risus causam, aut si non putes proferendam, commentitium aliquid adferre, ne quis se derideri suspicetur. Superioribus dentibus labrum inferius premere, inurbanum est, hic enim est minantis gestus: quemadmodum, & inferioribus mordere superius. Quin & labrorum oras lingua circumuoluta subinde lambere, ineptum: porrectioribus esse labris, & uelut ad osculum compositis olim apud Germanos fuisse blandum

dum, indicant illorum picturæ: porrecta lingua deridere quē quam, scurrile est. Auersus expuito, ne quem conspuas aspergasue. Si quid purulentius in terrā reiectū erit, pede, ut dixi proteratur, ne cui nauseā moueat. Idsi nō licet, linteolo sputū excipito. Resorbere saliuam inurbanum est, quemadmodum & illud quod quosdam uidemus nō ex necessitate, sed ex usu ad tertium quodq; uerbum expuere. Quidam indecore subtussiunt identidem inter loquendum, idq; non ex necessitate, sed ex more: is gestus est mentientium, & inter dicendū quid dicant comminiscentium. Alij minus etiam decorè ad tertium quodq; uerbum eructant: quæ res si à teneris annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in grandiorē ætatem. Idē sentiendum de screatu, quibus nominibus à seruo notatur Terentianus Clitipho. Si tussis urgeat, caue ne cui in os tussias, & absit ineptia clarius tussiendi, q̄ natura postulet. Vomiturus secede: nam uomere turpe nō est, sed ingluuie uomitum accersere, deforme est.

SCHOLIA.

Quem ob id Græci συγκρούσιον) συγκρούσιος sonat si quis uerbum uerbo reddere tentet concussorius. παρὰ τὸ συγκρούομαι. De hoc risu sic in collectaneis Didymi & Tarrhæi, γέλος συγκρούσιος, ἄτακτος, καὶ ἄκοσμος παρ' ὅσον τινες γελῶντες τὰς χεῖρας ἢ τοὺς πόδας συγκρούουσι, id est, Risus syncrusius, incōpositus, et indecorus, q̄ quidā inter ridendū manus aut pedes cōcutiūt. Hunc risum, & quēuis inornatum. Catullus ineptum uocat in Epigrā. ad Egna. Risus syncrusius.

Nam risu, inquit, inepto, res ineptior nulla est.

Qui caninus est, & Sardonius dicitur.) De hoc risu multa & doctissima Erasmus in Chiliadibus. Cæterū omnes quot quot hāc parœmiā exponūt. Sardonij etymon etiam ἀπὸ τοῦ σεσ Risus Sardonius.

κρέναι τοῖς ὀδοῦσι deducunt, hoc est, hiante & diducto ore dentes ostẽdere, quales illi qui fictè, & nõ ex animo, sed προσποιητῶς ridẽt. Talis Eunicæ meretriculæ apud Theocritũ: sic enim queritur pastor Idyllio. 24.

Καίτι σέσαρός, καὶ σοβαρόν μ' ἐγέλαξε. Id est.

Et simulate, Et fastu me derisit.

A canibus ducta metaphora, quibus hoc iræ indicium est nudare scilicet dentes. Stultorum illæ uoces sunt, risu diffluo.) Vide Adagiorum Chiliades. Emori risu. Mappa manuũe tegenda facies. Solent qui uehemẽtius rident, quàm compescere risum possint, mappam in ore ponere, Horatius:

Varius mappa compescere risum

Vix poterat. Solum, aut nullam euidentem ob causam.) Iuxta senarium illum Græcanicum.

γελᾷ δὲ μωρὸς κἂν τιμὴ γελοῖον ἦ Id est.

Ridet stultus licet nil sit risu dignum.

Aperire risus causam.) Quẽadmodũ apud Comicũ Chremes Menedemo subiti sui cachinni causam interroganti aperuit:

Chre. Aha, hâ, hê. Men. quid risisti? Chre.

Serui uenere in mentem calliditates Syri.

Labrum. Labrũ inferius.) Ineptũ est quod Grammatici quidã docent labrũ esse superius, labium inferius, nam contrarium nõ uno loco apud Pliniũ reperias: hoc adiungere placuit, ut hic cesset διαβολή. Et inferius mordere superius.) Vide prouerbium mordere labrũ. Quin & labrorũ oras.) Docet hoc turpe & indecorũ esse. Quintilianus lib. 11. cap. 3. Porrectioribus esse labris.) Nec hic gestus à Fabio probatur libro eodẽ: Labra, inquit, & porriguntur male, & scinduntur, & astringũtur, & diducuntur, & dentes nudant. Is gestus est mentientium.)

Vnde

Digitized by Google

Vnde illud Apuleij in Hippiam: Moram mēdax expetit. Tussit ergo Hippias. Et inter dicendū quid dicāt cōminiscentiū.) Perplexitatis signū tussis simulata est. Probat hoc parœmia quidem recentior, sed quam uetustissimis non iniquè comparaueris, citatur in Didymi & Tharræi collectaneis, nec explicatur: ἀπορία ἡ ψάλτου βῆξ, id est, Hæsitatio cantoris tussis. Quo significatur gestus is qui frequens admodum inter cantores, nec eos bene exercitatos esse solet, cùm extibiatū animum simulatiōe tussis recōcinnant. Notatur. Terētianus Clitipho.) Est in Heautontimorumeno; ubi Syrus seruulus Clitiphonē monet, ne uitijs & malis gestibus quibus assueuit, patre præsente amorem suum in Bacchidē patefaciat, uerba Syri sunt.

Hæsitātia cantoris tussis.

Sed heus tu uide sis: ne quid imprudens ruas,
Patrem nouisti ad has res quàm sit perspicax;
Ego autem te noui quàm soleas esse impotens,
Inuersa uerba, euersas ceruices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus, abstine.

TEXTVS.

Dentium mundicies curanda est, uerum eos puluisculo candidare puellarū est, sale aut alumine defricare, gingiuæ perniciosum. Idē lotio facere Iberorū est. Si quid inhæsit dētibus, nō cultello, nō unguibus, canū, felium ue more, non mantili ex imendū est: sed uel lentisci cuspide, uel pēna, uel ossiculis è gallorū aut gallinarū tibijs detractis. Os mane pura aqua proluere, & urbanum est & salubre, subinde id facere ineptum De linguæ usu suo dicemus loco.

SCHOLIA.

Verum eos puluisculo candidare.) Qualem scilicet miserat Calpurniano Apuleius, carmen quia lepidum est, adscribendum duxi ex Apologia magiæ.

Digitized by Google

Calpurniane salue properis uersibus.
Misi, ut petisti munditias dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus.
Tenuem, candificum, nobilem, puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ.
Ne qua uisatur tetra labes sordium,
Restrictis fortè si labellis riseris.

Dentifricia uaria. Sunt autem multa puluisculorum genera ad hunc usum reperta, quale est, quod è cornu cerui exusto fit apud Dioscoridem. Et puluis pumicis apud Pliniũ, & alia multa. Sale aut alumine fricare gingiuæ perniciosum. Sanis quidem gingiuis id admodum perniciosum est, sed affectis medicaminis uice erit sal & alumen. Lege caput septuagesimum, & septuagesimum septimum, libri quinti apud Dioscoridem, & Pli. libri trigesimi primi cap. nono. Idem lotio facere. Iberorum est.)

Ibrorum sordes. Testatur hoc Strabo Geographiæ suæ li. tertio ubi de Iberis scribit, sed qd nocebit ipsa authoris uerba subscribere: Ἡ μὲν παρωκεανῖτις ἡ πρὸς βορὸν ἀμοιρεῖ διὰ τὰ ψύχη ἡ δ' ἄλλη τὸ πλέον, διὰ τὴν ὀλιγορίαν τῶν ἀνθρώπων, καὶ δὲ μὴ πρὸς διαγωγὴν, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς ἀνάγκην καὶ ὁρμὴν θυρεώδη μετὰ ἔθους φάυλου ζῆν, εἰ μήτις δὲ ἔτι πρὸς διαγωγὴν ζῆν, τοὺς, οὔρῳ λουμένους ἐν δεξαμέναις παλαιουμένῳ καὶ τοὺς ὀδόντας σμηχομένους, καὶ αὐτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν, καθάπερ τοὺς καντάβρους φασὶ καὶ τοὺς ὁμόρους αὐτοῖς. Hoc est: Quæ uerò ad Oceanum uergit, & Borealis pars est, propter frigora rebus indiget, Reliqua autem adhuc amplius, propter hominum incuriam & negligentiam, & quod nullam institutionem amplexantes

tes, ferinis affectionibus, peßimisq; moribus uitam duauit. Nisi quispiam eos rectum uitæ institutum sequi putauerit, qui lauachra ex lotio in cloacis aliquãdiu retento sibi faciãt. Quiq; subijpsis suisq; uxoribus dentes ita candidant, quemadmodũ & Cantabros, confinesq; illis gentis factitare fama est. Et Apuleius libro primo Apologiæ magiæ idem testatur: Nisi forte inquit in eo reprehendendus sum, quòd Calpurniano puluisculum ex Arabicis frugibus miserim, quem multo æquius erat spurcißimo ritu Iberorum, ut ait Catullus, sua sibi urina dentem, atq; ruffam pumicare gingiuam. Carmẽ scriptum est in Egnatium, quod ob elegantiam, & Epigrammatis leporem totum adscribendum duxi.

Egnatius quod candidos habet dentes,
Renidet usq; quaq; seu ad rei uentum est
Subsellium, cum orator excitat fletum.
Renidet ille, seu pij ad rogum filij,
Lugetur orba cum flet unicum mater.
Renidet ille, quicquid est, ubicunq; est,
Quodcunq; agit, renidet, hunc habet morbum
Neq; elegantem, ut arbitror, neq; urbanum
Quare monendus es mihi bone Egnati,
Tu præter omneis une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba:
Et dens Hibera defricatus urina,
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut parcus Vmber, aut obesus Hetruscus.
Aut Lanuuinus acer, atq; dentatus,
Aut transpadanus, ut meos quoq; attingam.

Aut

Aut quilibet qui puriter lauit dentes:
Tamen renidere usq; quaq; te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiberus Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc ibi solet mane
Dentem atque ruffam defricare gingiuam:
Vt quo iste uester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet lotij.

Lentiscus Lentisci cuspide.) E lentisco frutice dentiscalpium fiebat, fricandis & terẽdis dentibus, & à cibo purgandis aptum. Dioscorides lib. 1. cap. 77. sic habet, τὰ δὲ ξυλάρια χλωρὰ ἀντὶ καλαμίδου πρὸς τριβόμενα δι' ὀδοῦσι σμήχει τούδους. Id est, Virides uerò ligni particulæ pro arũdinaceis cuspidibus fricatione purgant dentes. Solebant autem lentisco candidare dentes, unde eos quibus plus satis comendi corporis studium erat, σχινοτρώκτας, id est, lentisciuoros uocabant: & prouerbium, Lentiscum mandere, in eosdem, uide Chiliades. Vel penna.) Cum deesset ueteribus è lentisco dentifricium, rubẽtibus pennis sordes exterebant. Martialis epigrammatum tertio:

Stat exoletus, suggeritq; ructanti
Pennas rubentes, cuspidesq; lentisci.

Et in Apophoretis:

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

TEXTVS.

Rusticanum est, impexo esse capite, adsit mundities, non ritor puellaris. Absint sordes lendiũ et uermiculorum. Subinde scabere caput apud alios, parum decet: quemadmodũ unguibus reliquum fricare corpus, sordidum est, præsertim si fiat

usu

usu, non necessitate. Coma nec frontē tegat, nec humeris inuoli tet. Subinde concusso capite discutere capillitium, lasciuientium est equorū. Cæsariem à fronte in uerticē læua retorquere, parum elegās est: manu discriminare, modestius. Inflectere ceruicē, & adducere scapulas, pigritiā arguit: resupinare corpus, fastus indiciū est, molliter erectū decet. Ceruix nec in læuum, nec in dextrū uergat, hypocriticū enī, nisi colloquiū, aut aliud simile postulet. Humeros oportet æquo libramine temperare nō in morē antennarū alterū attollere, alterū deprimere. Nā huiusmodi gestus in pueris neglecti, uertūtur in naturam, & corporis habitū præter naturā deformant. Itaq; qui præ desidia collegerūt consuetudinē inflectendi corpus, sibi gibbū conciliant, quē natura nō dederat: & qui deflexū in latus caput habere cōsueuerunt, in eū habitū indurescūt, ut adulti frustra mutare nitantur. Siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quæ in quancunq; speciē furca funiculoue deflexeris, ita crescunt. Vtrūq; brachiū in tergū detorquere, simul & pigritiæ speciē habet & furis: neq; multò decētius est altera manu in ilia iniecta, astare, sedereue, quod tamen quibusdā elegās ac militare uidetur. At nō statim honestū est, quod stultis placuit, sed quod naturæ & rationi consentaneum est. Reliqua dicentur, quum ad colloquium, & conuiuium uentum erit.

☞ SCHOLIA.

Non nitor puellaris.) Nec tales adolescentes uates Sulmonensis ferre uult:

Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina compti:
Fine coli modico forma uirilis amat.

Nō necessitate.) Necessitas est cùm scabie morbóue aliquo locus affectus fricatur. Vbi enim dolemus, ibi ferè manū habere

sole

solemus. Resupinare corpus fastus indicium) Resupinare corpus, est excuruare thoracem, & ut uulgo dicere solemus, protendere pectus. Solent apud ueteres, qui deos precarẽtur, hoc pacto se resupinare, erecti stantes in summis digitorum pedibus. Martialis lib. 12.

Aethon in capitolio pepedit,
Multis dum precibus Iouem salutat,
Stans summos resupinus usq; in ungueis.

Ceruix nec in læuum, nec in dextrum uergat.) Hoc est, quod dixit Fabius: Ceruicem erectam esse oportet, non rigidam ac supinam, &c. Hypocriticum enim) Breuiatur nanq; sic ceruix & gestum quendam humilem, atq; seruilem, & quasi fraudulentũ facit, cùm se in habitum adulationis, admirationis, & metus fingunt. Hypocriticum autem omne uocamus, quod simulato animo fingitur. Humeros oportet æquo libramine) Et hoc cum Quintiliani præcepto conuenit, qui humerorum alleuationem, atq; contractionem, ut indecentem uituperat. In morem antennarum.) Antenna lignum est transuersum è malo nauis dependens, cui alligatur uelum, quam Græci κέραιον uocant, id cornutum sonat, quod instar cornuum utrinque extensum sit. Apollonius νηὸς σταῦρον appellat, quod crucis similitudinem omnimode referat. Itaque qui præ desidia) Medici gibbum hunc ἠθικὸν, id est, consuetudinariũ uocant, quod non è natura sit, sed peruersa, & longa consuetudine concilietur. Siquidem tenera corpuscula) Non dissimilis est ab hoc simili Plutarchi ὁμοίωσις καὶ καθάπερ τοὺς χάρακας οἱ γεωργοῖ τοῖς φυτοῖς παρατιθέασιν, οὕτως οἱ νόμιμοι τῶν διδασκάλων ἐμμελεῖς τὰς ὑπεθήκας καὶ παραινέσεις παραπηγνύουσι τοῖς νέοις, ἵνα ἀρθὰ τούτων βλαστάνοι τὰ ἤθη, hoc est,

est, Vt agricolæ uallos, furcasq́; apponunt plantulis, ut in rectitudinem excrescant, sic qui instituit, addit monita & præceptiones pueris, ut rectè crescant eorum mores. Et furis) Fures nanq; apud nostrates manibus retro in tergum colligatis ignominiose sic ad supplicium educuntur.

☞ TEXTVS.

Membra, quibus natura pudorem addidit, retegere citra necessitatem, procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, tamen id quoq; decente uerecundia faciendũ est, etiamsi nemo testis adsit. Nunquàm enim non adsunt angeli, quibus in pueris gratissimus est pudicitiæ comes, custosq́; pudor. Quorum autem conspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno præbere cõtactui: Lotium remorari, ualetudini perniciosum: secreto reddere, uerecundũ. Sunt qui præcipiant, ut pueri compressis natibus uentris flatum retineant. At qui ciuile non est, dum urbanus uideri studes, morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat, sin minus, iuxta uetustissimum prouerbium. Tussi crepitum dissimulet. Alioqui cur non eadem opera præcipiunt, ne aluum deijciant quum remorari flatũ periculosius sit, quàm aluum stringere. Diductis genibus sedere, aut diuaricatis tibijs distortisue stare Thrasonum est. Sedenti coëant genua: stanti pedes, aut certe modice diducantur. Quidam hoc gestu sedent, ut alteram tibiam altero genu suspendant, nonnulli stant decussatim compositis tibijs, quorum alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in læuum femur iniecto sedere, priscorum regum mos est, sed improbatus. Apud Italos quidam honoris gratia pedem alterum altero premunt unique propemodum insistunt tibiæ, ciconiarum ritu, quod an pueros

deceat

deceat nescio. Itidem in flectendis genibus aliud apud alios decet, dedecetq;. Quidã utrunq; pariter inflectunt, idq; rursus alij recto corpore, alij nõnihil incuruato. Sunt qui hoc ceu muliebre rati, similiter erecto corpore, primùm dextrum incuruant genu, mox sinistrum, quod apud Britannos in adolescentibus laudi datur. Galli modulato corporis circumactu dextrũ duntaxat inflectũt. In his in quibus uarietas nihil habet cum honesto pugnans, liberum erit uel uernaculis uti moribus, uel alienis obsequundare, quando sunt quos magis capiant peregrina. Incessus nec fractus sit, nec praeceps, quorũ alterum est mollium, alterũ furiosorum: nec uacillans, quod à Fabio improbatur. Nam ineptam in incessu subclaudicationẽ Suiceris militibus relinquamus, & ijs qui magnũ ornamentũ ducunt, in pileo gestare plumas. Tametsi uidimus episcopos hoc gestu sibi placere. Sedentẽ pedibus ludere, stultorũ est: quemadmodum & manibus gesticulari, parum integrae mentis indicium est.

SCHOLIA.

Membra quibus natura.) Cicero officiorum lib. 1. ubi decorum à uerecundia tractat, sic de uerecundia inter alia sanctissimè disserit. Quae autem partes corporis ad naturae necessitatem datae aspectum essent deformem habituræ, atq; turpem formam, eas contexit, atq; abdidit. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum uerecundia, quae enim natura occultauit, eadem omnes qui sana mente sunt, remouent ab oculis, ipsiq; necessitati, dant operam, ut quàm occultissimè pareant. Hactenus Cicero. Quin ubi necessitas huc cogit.) Nihil aliud Hesiodus, uersibus suis de lotio reddẽdo significasse uidetur, quam uerecundiam: liberali puero quàm maximè seruandum esse, extant libro primo ἔργων.

Digitized by Google

Μήτ' ἐν ὀδῷ μήτ' ἐκτὸς ὁ Δοῦ προβάδην οὐρεύσῃς
Μήτ' ἄπο γυμνωθείς Hoc est.
In uijs, extraq; uias caue feceris unquam
Progrediens lotium, uestis quoq; membra reuelet.

Lotium remorari.) Nam sic calculum gigni perhibent medicorum filij. Morbum accersere.) Audi Coisenis de crepitu sententiā libro προγνώσεων, secundo. Si flatus sine crepitu sonituq; excernitur optimus. Melius tamen est, ut erumpat cum sonitu, quàm si condatur retineaturq;. Atq; adeo utile hic fuerit deuorare pudorem, ut corpus redimas, ut consilio omnium medicorum sic nates comprimas, quemadmodū apud epigrāmatarium Æthon, qui quamuis in sacro sibi caueritcrepando tamen cōpreßis natibus Iouē salutabat. Parasitica, & illorū qui ad superalium stant, uox est, Didicā comprimere nates. Tußi crepitum dißimulare.) Tußire se simulant, qui pudoris gratia nolunt crepitum audiri. Lege Chiliad. Tußis pro crepitu. Quū remorari flatum perniciosius sit.) Extant Nicarchi uersus Epigram. lib. 2. εἰς πόρδην, quibus pestiferam rententi crepitus uim describit: sed quia omniū manibus teruntur non duxi adscribendos. Diuaricatis tibijs.) Diuaricatas tibias habent, ut ex Nonio scire datur, qui uitio naturæ ita sunt pedibus discretis, ut eos in diuersum habeant separatos. Ammianus, arcus extēsos brachijs diuaricatis uocat. Fabius uaricare in hoc sensu utitur. Varicare supra modum in stando deforme est, & accedenti motu quopiā obscœnū. Thrasonū est) Militarē hūc gestū fortaßis et Persius notauit, cū centuriones uaricosos uocat, nō q; uaricæ habuerint, sed quia hoc gestu tanq̄ uaricibus affecti sibi placuerint. Quidā hoc gestu sedēt.) Quos sic notat Quintilianus. Male etiā in sinistrū pedē insistentiū,

Crepitus retentus.

Diuaricatis tibijs.

dexter aut attollitur, aut summis digitis suspenditur. Dextro pede in læuũ femur. Hũc gestũ in consilijs ducũ protestatũ ue à maioribus damnatũ, quod crederetur omnẽ actũ impedire, Plinius scribit lib. 28. cap. 6. Galli modulato corporis.) Hanc consuetudinẽ à maioribus tanq̃ per manus traditam Galli etiamnum seruant, sed olim in alium usum, nimirum deorũ adorationis, ut in Plinio legimus. Incessus nec fractus sit, nec præceps.) Cicero Officiorum lib. 1. Cauendum autem est, ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse uideamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, que cum fiunt, anhelitus mouẽtur, uultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Nec uacillans, quod à Fabio.) Libro undecimo capite tertio. Est & illa indecora in dextrum ac læuum latus uacillatio, alternis pedibus insistentium. In pileo gestare plumas.) author est Varro, insignitos milites in pileo pennas gestare solitos fuisse. Et apud Lucianum meretrix quædã milites descriptura, cristas quatiẽtes, & pugnas narrantes illos uocauit. Sedentem pedibus ludere.) His notis Sapiens rex in parabolis dementem & insanum depinxit: Oculis, inquit, annuit, signa dat pedibus, manibus gesticulatur, per uerso corde mala machinatur.

DE CVLTV.

TEXTVS.

IN summa dictum est de corpore, nunc de cultu paucis, eò quòd uestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoq; licet habitũ animi cõijcere. Quãquã hic certus præscribi modus nõ potest, eò quòd non omnium par est, uel fortuna

tuna uel dignitas, nec apud omnes nationes eadē decora sunt, aut indecora: postremo nec oībus sæculis eadē placēt displicentue. Vnde quemadmodum in alijs multis, ita hic quoq; nō nihil tribuendum est, iuxta prouerbium ἰόμῳ καὶ χώρᾳ atq; etiam κοιρῷ cui seruire iubent sapientes. Est tamen in hisce uarietatibus, quod per se sit honestum, aut secus, uelut illa quæ nullum habent usum, cui paratur uestis. Prolixas trahere caudas, in fœminis ridetur, in uiris improbatur: an Cardinales et Episcopos deceat, alijs æstimandū relinquo. Mulctitia nunq̄ non probro data sunt tum uiris, tum fœminis: quandoquidem hic est alter uestis usus, ut ea tegat, quæ impudice ostenduntur oculis hominum. Olim habebatur parum uirile, discinctū esse, nunc idem nemini uitio uertitur, quod indusijs, subuculis, & caligis repertis tegantur pudenda, etiam si diffluat tunica. Alioqui uestis breuior, quàm ut inclināti tegat partes, quibus debetur honos, nusquam non inhonesta est. Dissecare uestē, amentiū est: picturatis ac uersicoloribus uti morionū est ac simiorum. Ergo pro modo facultatum ac dignitatis, proq; regione & more adsit cultui mundicies, nec sordibus notabilis, nec luxum, aut lasciuiam, aut fastum præse ferens. Neglectior cultus deæt adolescentes, sed citra immundiciam. Indecore quidam interularum ac tunicarum oras aspergine lotij pingunt, aut sinum brachaliáque indecoro tectorio incrustant, non gypso, sed narium & oris pituita. Sunt quibus uestis in alterum latus diffluit, alijs in tergum ad renes usque: nec desunt quibus hoc uideatur elegans. Vt totum corporis habitum mundum & compositum esse deæt: ita deæt illum corpori congruere. Si quid elegantioris cultus dedere parentes, ne teipsum reflexis oculis contemplere,

nec gaudio gestias, alijsq; ostentes: nam alterum simiarũ, alterum pauonũ, mirentur alij, tu te bene cultũ esse nescias. Quò maior est fortuna, hoc est amabilior modestia. Tenuioribus in conditionis solatium concedendũ est, ut moderate sibi placeant. At diues, ostentans splendorem amictus, alijs suam exprobrat miseriam, sibiq; conflat inuidiam.

SCHOLIA.

Quod uestis quodammodo.) Lege prouerbiũ in Chiliad. Vestis uirum facit. Habitum animi cõijcere.) Facit huc Actij illud apud Nonium: Discincta uestis, discinctus animus ne nega. Νόμῳ καὶ χώρᾳ atq; etiam καίρῳ.) Id est, legi & regioni, & tempori. Consule Chiliades. Lex & regio. Et: Nosce tempus. Citatur à Pindari interprete ex Antiphane senarius quidam, quem etiam inter Græcorum sententias offendi: Νόμοις ἕπεσθαι τοῖς ἐν ἐγχώροις καλόν.

Seruire legi, regioni, & tẽpori.

Id est, leges suis regionibus proprias sequi pulchrum. Socrates, ut author est Laertius, tempori interdum seruiens, uenustiori habitu amiciebatur, ut in Platonis symposio ad Agathonẽ profectus, multũ alioqui circa uestes negligens. Prolixas trahere caudas.) Mollitiẽ arguit huiusmodi uestis, unde mulieribus utpote mollibus frequẽtius apud authores ascribitur, q̃ uiris. Siquidẽ frequens est apud Homerum Epithetõ ἑλκεχιτῶνες. Atq; etiã cũ uiros ut imbelles & solutos notat ἑλκεσιπέπλους uocat, ut Ili. χ ubi cõmune est et uiris, et fœminis Αἰδέομαι τρῶας καὶ τρῳΐδας ἑλκεσιπέπλους, id est. Vereor Troianos Troianas uestes trahentes.

Quid dicam, quod huismodi uestibus utentes ἀζώστους. id est discinctos grammatici appellant: Mulctitia nunquã nõ probro.) Non constat inter grammaticos de mulctitia: hic tunicas

Mulctitia

è mol

è molli lana cõfectas, ab eo quod mulceãtur, hoc est, eliciantur dici uult. Illi magis placet à mollitie deducere. Alius à mulcendo appellatas cẽset, q, suauitate sua demulceãt, & uestes è serico textas interpretatur. Sunt etiã quibus hæc bombicẽ eo ꝑ significare uideatur, de qua Plin. li. 11. ca. 22. Hoc certũ est mollissimas fuisse uestes, mollibus quoq; gratissimas. Non eim Iuuena. saty. 2. tã acriter carpsisset, nisi uiris indecora iudicasset.

Sed quid non facient alij, cùm tu mulctitia sumas
Cretiæ? Et mox: Quæro an deceant mulctitia?

Alter uestis usus) Alter, ut nos à tempestatibus, frigore & cœli iniuria defendat. Olim habebatur parum uirile) Malè passim apud omnes authores ἄζωστοι, hoc est, discincti audiũt, nunc enim mollis & soluti hominis indiciũ est, ut cùm signũ à discincto peteretur, hoc est, molli Mecœnate, qui absente Cæsare eius munere fungebatur. Et Seneca in epistola. 115. testatur hunc solutis tunicis semper in urbem inæssisse: nunc desidiosi & ignaui, hinc illud apud Persium:

Non pudet ad morem discincti uiuere Nacæ.

Atq; adeo ignominiosum erat apud ueteres discinctum esse, ut duces delinquentes, quandoq; milites hac ignominia affecerint. Quemadmodum D. Augustus, qui pro delictis milites disinctos ante prætorium per totum diem stare iubebat. Hac Lucullus in fugitiuos quosdam milites animaduertit, ut author est Plutarchus in uita illius: Ατιμίαν τινὰ τοῖς φεύγουσι νενομισμένην προσεβαλέ, κελεύσας ἐν χιτῶσιν ἀζώστοις ὁρίζαι δώδεκα πωδῶν τάφρον, ἐπιστώτων καὶ θεωμένων τῶν ἄλλων στρατιωτῶν, hoc est, ignominia quadam quam excogitauerat, fugitiuos affecit, cogens eos in tunicis discinctis, uallum duodecim pedũ fodere, incipientibus & astan-

Discincti malè audiebant.

us alijs commilitonibus. Adde quod Romani uictos, et quos otiuos duœbant, discinctos sub iugum transire cogebant. memini me legere apud Festum Pompeium in dictione iu- m. Alioqui uestis breuior.) Horatius in uestibus quoque ediocritatem laudat. Non enim illi placet Malthinus tunicis mißis, neque iterum is qui inguen ad obscœnum subductis at. Ciceroni etiam mediocritas hic optima est. Alterum si- iarum) mirum est quàm hoc animal gaudeat ad humanum cornari morem. Alterum est pauonum) Plinius libro deci- o, cap. 20. In his pauonum genus cum forma, tum intellectu us & gloria. Gemmantes laudatus expandit colores, ad- erso maximè sole, quia sic fulgentius radiant. Simul umbræ uosdam reperaussus cæteris, qui in opaco clarius micant, con hata quærit cauda: omnesq; in acerum cõtrahit pennarum uos spectari gaudet oculos. Et Ouidius:

Laudatas ostendit auis Iunonia pennas.

Sibi confiat inuidiam) Ostentabat & suas εὐανθεῖς ac precio as uestes apud Athenienses diues ille Lucianicus in Nigrino, ed audi quibus scommatibus exceptus à ciuibus est, ἤδη ἔαρ, nquiunt, καὶ πόθεν ὁ τήνος οὗτος; τὰ χα φλ μητρὸς ἐστὶν κυτῶ, &c. Id est, iam uer est, & unde nobis pauo hic? & for asse matris suæ uestis est.

☞ DE MORIBVS IN TEMPLO.

TEXTVS.

QVoties fores templi præteris nudato caput, ac mo- dice flexis genibus, & ad sacra uerso uultu, Chri- stum diuosq; salutato. Idem et aliâs faciendũ siue in rbe, siue in agris, quoties occurrit imago crucis. Per ædem acram ne transieris, nisi simili religione saltem breui precati-

uncula

uncula Christum appelles, idq; retecto capite, & utroque genu flexo. Cùm sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Cogita illic præsentem Christum cum innumeris angelorum milibus. Et si quis regem hominem alloquuturus circumstante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, non iam pro rustico, sed pro insano haberetur ab omnibus: quale est illic opertum habere caput, erecta genua, ubi adest rex ille regum immortalis, & immortalitatis largitor, ubi uenerabundi circumstant ætherei spiritus. Nec refert, si eos non uides, uident illi te, nec minus certum est illos adesse, quàm si uideres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei, quàm oculi carnis. Indecentius etiam est, quòd quidam in templis obambulant, & peripateticos agunt. At qui deambulationibus porticus & fora conueniunt, non templa quæ sacris concionibus, mysterijs, ac deprecationi dicata sunt. Ad concionantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiet animus omni cum reuerentia, quasi non hominem audias, sed Deum per os hominis tibi loquentem. Quum recitatur Euangelium, assurge, & si potes ausculta religiose. Quum in symbolo canitur, Et homo factus est, in genua procumbe, uel hoc pacto te submittens in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra omnes cœlos, demisit in terras, quum esset Deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret Deum. Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem composito, ad altare uersa sit facies, ad CHRISTVM animus. Altero genu terram contingere, erecto altero, cui læuus innitatur cubitus, gestus est impiorum militum, qui domino IESV illudentes, dicebant: AVE REX IVDÆORVM. Tu demitte utrunq; reliquo etiam

Digitized by Google

corpore nonnihil inflexo ad uenerationem. Reliquo tempore aut legatur aliquid è libello, siue præclarum, siue doctrinæ salutaris, aut mens cœleste quippiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem uicini; eorum est, qui non credunt illic adesse Christum: huc illuc circumferre uagos oculos, amentium est. Existima te frustra templum adijsse, nisi inde melior discesseris, puriorq;.

SCHOLIA.

Quoties fores templi) Tanta ueteribus sacrorum uenerātio erat, ut Apuleius, homo à nostra religione multum alienus, Æmilianum quendam rideat, quòd fana deorum, dearumq; prætergrediens, nunquā à ciuibus suis uisus esset deos salutare, sed nephas habuerit orandi gratia manum labris admouere. Peripateticos agunt) περιπατητικοὶ (ut Ammonius Aristotelis categoriarum interpres scribit) διὰ τοιαύτην αἰτίαν οὕτως ἐλέγοντο. Πλάτων γὰρ γυμνασίας ἕνεκεν περιπατῶν, ἐπὸς τὸ τὰς πρὸς τοὺς ἑταιροὺς συνουσίας: ὃν ὁ Αριστοτέλης διαδεξάμενος, ἦχε τὴν ἐκ τῆς ἐνεργείας, ἤτοι τοῦ συμβεβηκότος ἐπωνυμίαν, id est, Peripatetici hanc ob causam ita dicebantur. Plato enim exercitationis causa obambulans, sic ad discipulos uerba faciebat: cui succedens Aristoteles, ex ipsa re, aut quia successor erat, cognomen hoc obtinuit. Est itaque agere Peripateticum, huc illucq; deambulare. Gestus est impiorum militum.) Extat apud Matthæum capite 27.

DE CONVIVIIS.

TEXTVS.

IN conuiuijs adsit hilaritas, absit petulantia, nō nisi lotus accumbe, sed ante præsectis unguibus, ne quid in his hæreat sordium,

Digitized by Google

sordium, dicaris q; ῥυποκόνδυλος: ac priùs clàm reddito lotio, aut si res ita postulet, exonerata etiã aluo: & si fortè strictiùs cinctum esse contingat, aliquantulũ relaxare uincula, consultũ est, quod in accubitu parum decorè fiat. Abstergens manus simul abijce quicquid animo ægrè est. Nam in conuiuio nec tristem esse decet, nec contristare quenquam. Iussus consecrare mensam, uultum ac manus ad religionem componito, spectans aut conuiuij primarium, aut si fors adest, imaginem Christi: ad nomen Iesu, matrisque uirginis, utrunque flectens genu. Hoc muneris si cui alteri delegatum fuerit pari religione tum auscultato, tum respondeto. Sedis honorem alteri libenter cede, & ad honoratiorem locum inuitatus, comiter excusa: si tamen id crebrò serioq; iubeat aliquis authoritate præditus, ne recundè obtempera, ne uideare pro ciuili præfractus. Accumbens utranq; manum super mensam habe, nõ coniunctim, nec in quadra. Quidam enim indecorè uel unam, uel ambas habent in gremio. Cubito uel utroq;, uel altero inniti mensæ, senio, morbóue laßis condonatur: idem in delicatis quibusdam aulicis, qui se decere putant quicquid agunt, dißimulandum est, non imitandum. Interea cauendũ ne proximè accumbenti cubito, neu ex aduerso accumbenti pedibus sis molestus. In sella uacillare, & nunc huic, nunc alteri nati uicißim insidere, specimen habet subinde uentris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur æquo libramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio læuo imponito. Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquito, nisi uel religionis mos diuersum suadeat, uel alicuius authoritas præcipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est, ut pueri stantes ad maiorum mensam,

capiant

capiant cibũ extremo loco, retecto capite. Ibi ne puer accedat, nisi iussus, ne hæreat usq; ad conuiuij finem: sed sumpto quod satis est sublata quadra sua, flexo poplite salutet conuiuas, præcipuè qui inter conuiuas est cæteris honoratior. A dextris sit poculũ, & cultellus escarius rite purgatus, ad læuam panis. Panem una uola pressum, summis digitis refringere, quorũdam aulicorũ delicias esse sinito: tu cultello seca decenter, non undiq; reuellens crustũ, aut utrinq; resecans, delicatorũ hoc est. Panẽ ueteres in omnibus conuiuijs cœu rem sacram religiose tractabant, unde nũc quoq; mos relictus est, eum forte delapsum in humum exosculari. Conuiuiũ statim à poculis auspicari, potorum est, qui bibunt, nõ quod sitiant, sed quod soleant. Nec ea res solum moribus est inhonesta, uerumetiã officit corporis ualetudini. Nec statim post sumptam ex iure offam, bibendum, multò minus post lactis esum. Puero sæpius q̃ bis, aut ad summum ter in conuiuio bibere, nec decorũ est, nec salubre. Semel bibat aliquandiu pastus de secundo missu, præsertim sicco: deinde sub conuiuij finem, idq; modicè sorbendo, non ingurgitando, nec equorũ sonitu. Tum uinũ, tum ceruisia, nihilominus quàm uinum inebrians, ut puerorum ualetudinem lædit, ita mores dedecorat. Aqua feruidæ conuenit ætati, aut si id nõ patitur, siue regionis qualitas, siue alia quæpiam causa, tenui ceruisia utitor, aut uino nec ardenti, et aqua diluto. Alioqui mero gaudentes hæc sequuntur præmia, dentes rubiginosi, genæ defluẽtes, oculi lusciosi, mentis stupor, breuiter seniũ ante senectã. Antequàm bibas, præmande cibum, nec labra admoueas poculo, nisi prius mantili aut linteolo abstersa, præsertim si quis suum poculũ tibi porrigit, aut ubi de cõmuni bibitur poculo. Inter bibendũ intortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmo-

admodum & ciconiarũ exemplo ceruicem in tergum reflectere, ne quid hæreat in imo cyatho, parũ est liberale. Salutantẽ poculo, resalutet comiter, & admotis labris cyatho, paululum libãs bibere se simulet: hoc ciuili nugoni satis erit. Quisi rusticius urgeat, polliceatur se tum responsurum quum adoleuerit.

SCHOLIA.

Non nisi lotus accumbe.) Antiquitus enim, ut author est Plutarchus in Symposiacis, inter res sacras habebatur mensa, & non tumultuanter, sed religione quadam ad conuiuiũ accedebant lotis manibus, non aliter q̃ ad sacrum epulum. Dicaris q̃; ῥυποκόνδυλος) Erasmus in Chilia. ῥυποκόνδυλον à Græcis uocari docet, hominẽ sordidum et impendio parcum, conflata dictione à ῥύπος, quod sordes eas significat, quæ in summis unguibus digitorum colliguntur, & κόνδυλος, articulum digitorum. Quasi ob auaritiam ne tantillũ sumptus faciat, ut tonsori det nummulum, qui repurget ungues. Talis Plautinus Euclio, sed hic tamen totondit, nisi quòd præsegmina collegit et abstulit. Aliquantulum relaxare uincula) Stobæus ex Platone apud Iberos hoc non licuisse scribit: Vbi & mulieres & pueri zonæ mensurã habebant, quam si eorũ uenter capere nequibat, magno uitio & probro dabatur. Idem apud Gallos solitũ fieri, Strabo docet lib. 4. Interea cauendum ne proximo) Notat hoc nomine cõuiuam quendam Martialis lib. 3.

Iacet occupato Galbanatus in lecto,
Cubitisq; trudit hinc & hinc conuiuas.

Panem ueteres) Hinc frequẽs hoc epitheton ἱερὸς ἄρτος, id est sacer panis apud Poëtas. In humum exosculari) Fortasse & hoc à ueteribus originem habet, qui illa quæ à mensa in terrã caderẽt, dijs inferis sacra putabãt. Conuiuiũ statim à poculis)

Plinius

Plin. lib. 23. cap. 1. Vinum ieiunos bibere nouitio inuento, inutilißmum est. Et libro. 14. cap. 22. idem notat. Alibi uino debe ri scribit, quòd ante cibum homines, & quòd soli animalium non sitientes bibimus. Tum uinum, tum ceruisia) Plato hanc ob causam lib. de Repub. cap. 2. omnem uini usum pueris interdixit. Aqua feruidæ conuenit ætati) Vtpote potus saluberrimus & optimus: testis Plinius lib. 14. cap. 22. Alioqui mero gaudentes) Vide Plinium libro eodem. Antequàm bibas.) Ne dicaris cum Glauco Plutarchi ἄρτον πίειν, id est, panem bibere.

☞ TEXTVS.

Quidam ubi uix bene consederint, mox manus in epulas conijciunt. Id luporum est, aut eorum qui de chytropode carnes nondum immolatas deuorant, iuxta prouerbium. Primus cibum appositum ne attingito, non tantum ob id quòd arguit auidum, sed quòd interdum cum periculo coniunctum est: dum qui feruidum inexploratum recipit in os, aut expuere cogitur aut si deglutiat, adurere gulam, utroq; ridiculus æquè ac miser. Aliquantisper morandũ, ut puer assuescat affectui temperare. Quo consilio Socrates ne senex quidem unquam de primo cratere bibere sustinuit. Si cum maioribus accumbit puer, postremus, nec id nisi inuitatus, manum admoueat patinæ. Digitos in iussulenta immergere, agrestium est, sed cultello fuscinaue tollat quod uult: nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores, sed quod forte ante ipsum iacet, sumat: quod uel ex Homero discere licet, apud quem creber est hic uersiculus.

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴλλον.

Id quoque si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, & quod proximum est accipiat. Vt igitur intemperantis est, in omnes patinæ plagas manum mittere, ita parum decorũ patinam

nam inuertere, quô ueniant ad te lautiora. Si quis alius cibũ porrexerit elegantiorem, præfatus excusatiunculã recipiat, sed resecta sibi portiuncula, reliquum offerat ei qui porrexerat, aut proxime aßidenti communicet. Quod digitis excipi non potest, quadra excipiendũ est. Si quis è placenta uel artocrea porrexit aliquid, cocleari, aut quadra excipe, aut cocleari porrectum accipe, & inuerso in quadrã cibo, cocleare reddito. Si liquidius est quod datur gustandũ, sumito, & cocleare reddito, sed ad mantile extersum. Digitos unctos uel ore prælingere, uel ad tunicam extergere pariter inciuile est, id mappa potius aut mãtili faciẽdũ. Integros bolos subito deglutire ciconiarũ est, ac balatronũ. Si quid ab alio fuerit resectũ inciuile est manum quadrámue porrigere, priusquã ille structor offerat, ne uideare præripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur, aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendũ. Si quod offertur nõ congruit tuo stomacho, caue ne dixeris illud Comici Clitiphonis, non possum pater, sed blandè agito gratias. Est enim hoc urbanißimũ recusandi genus, Si perstat inuitator, uerecunde dicito, aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

SCHOLIA.

Id luporum est.) Hoc est uoraciũ: sic enim παροιμιακῶς gulosos appellamus. Qui de chytropode.) Hoc prouerbium solet dici in homines intempestiuæ gulæ. Lege plura in Chiliadibus. Quo consilio Socrates ne senex quidem.) Proditũ est Socratem nunquam de primo cratere bibere solitũ, sed secundo seruare sitim. Vide prouerbium ἀγαθοδαιμονισταί. Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ') id est, Hi quidem in cibos coctos & appositos manus mittebant. ἄλλως.

Appo

Appositasq; citis escas manibus rapiebant.
Multis in locis carmen hoc apud Homerum extat. Ac balatronum.) Ganeones ij, & τραπεζῆες Horatiano carmine nobiles sunt. Caue ne dixeris illud Comici) Est in Heautontim.

TEXTVS.

Discenda est à primis statim annis secandi ratio, nõ superstitiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas, qua de re sigillatim præcipere, ut prolixum sit, ita nec operæ precium. Illud in uniuersum tradi potest. Apitiorũ esse, omni ex parte quicquid palato blanditur, abradere. Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est. Panem prærosum iterũ in ius immergere, rusticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere, inelegans est. Nam si quid fortè sumptum est, quod deglutiri non expedit, clam auersus aliquò proijciat. Cibum ambesum aut ossa semel in quadrã seposita repetere, uitio datur. Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, pauimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam proijce, nec in patinam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discum qui apud nonnullos reliquijs excipiendis apponitur. Canibus alienis de mẽsa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur: ineptius est illos in conuiuio contrectare. Oui putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare, ridiculum est: idem inserta lingua facere magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius. Ossa dentibus arrodere caninum est, cultello purgare ciuile. Tres digiti salino impressi, uulgari ioco dicũtur: agrestiũ insignia. Cutello sumẽdum est salis, quantũ satis est. Si longius abest salinum, porrecta

recta quadra petendum est. Quadram aut patinũ cui sacarũ aut aliud suaue quiddam: adhæsit, lingua lambere felium est, non hominum. Carnẽ prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquandiu mandat priusquam traijciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, uerumetiã ad bonam ualetudinem pertinet. Quidam deuorant uerius quàm edunt, non aliter, quam mox, ut aiunt, abducendi in carcerẽ: latronum est ea tuburcinatio. Quidam tantum simul in os ingerunt, ut utrimq; seu folles tumeant buccæ: alij mandendo diductu labiorum sonitum edunt porcorum in morem, nonnulli uorandi studio spirant etiam naribus, quasi præfocandi. Ore pleno uel bibere, uel loqui, nec honestum est nec tutum. Vicissitudo fabularum interuallis dirimat perpetuum esum. Quidam citra intermissionem edunt bibuntue, non quod esuriant, sitiantue: sed quod alioqui gestus moderari non possunt, nisi aut scabant caput, aut scalpant dentes, aut gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tussiant, aut screent, aut exspuant. Ea res à rustico pudore profecta, nonnullã insaniæ speciem habet. Auscultandis aliorum sermonibus fallendum est hoc tædij, si non datur opportunitas loquendi. Inciuile est, cogitabundum in mensa accumbere. Quosdam autem uideas adeo stupentes, ut nec audiant quid ab alijs dicatur, nec se comedere sentiant, et si nominatim appelles, uelut è somno excitati uideãtur. Adeo totus animus est in patinis. Inurbanũ est oculis circumactis obseruare quid quisq; comedat, nec decet in quenquam conuiuarũ diutius intentos habere oculos: inurbanius etiam transuersim hirquis intueri, qui in eodem accumbunt latere, inurbanissimũ retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera mensa. Effutire si quid

liberius

liberius inter pocula dictũ factúmue sit, nulli decorum est, ne dum puero. Puer cum natu maioribus accumbens, nunquã loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quopiã inuitetur. Lepidè dictis modicè arrideat: obscœne dictis ne quando arrideat, sed nec frontem cõtrahat: si præcellit dignitate qui dixit, sed ita uultus habitum temperet, ut aut non audisse, aut certe nõ intellexisse uideatur. Mulieres ornat silentium, sed magis pueritiam.

SCHOLIA.

Apitiorum esse.) Marcus Apitius, unus & præcipuus inter proceres gulæ, & ut Plinius ait, ad omnẽ luxum ingenio mirus, Rhomæ tempore Tyberij uixit, scientiam popinæ professus, authore Seneca. Hic ut legimus in Suida, ἐπ' ἀσωτίᾳ ὁ πολυτελεία ἱκανὰς μυριάδας ἀργυρίου κατανάλωσε εἰς τὴν γαστέρα. Hoc est, In luxu & sumptuositate maximam argenti uim absumpsit. A quo prouerbium, Apitiæ cœnæ. Vide Celium Rhodoginum libro. 5. cap. trigesimo. Canibus alienis.) Sunt quibus nunquam cœnare foris placeat, nisi & umbram & canem secum adducant, hos Theophrastus impudentes uocat, quo loco impudentiam depingit: καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ἀκόλουθον δοῦναι ἀπὸ τῆς τραπέζης ἄρας κρέας καὶ ἄρτον, καὶ εἰπεῖν ἀκουόντων πάντων εὐωχοῦ τίμιε, id est, ad cœnam uocatus assecliæ porrigere carnem & panem, quem è mensa omnibus inspicientibus tollens, comededicit charissime. Latronum est ea tuburcinatio.) Ex Apuleio hoc sumptum uideri potest, qui libro Metamorphoseon sexto de latronibus ita narrat: Ecce cõfecto nescio quo graui prælio, latrones aduenient onusti, prandioq; raptim manducare, teste Nonio. Inciuile est, cogitabundum in mensa accumbere.) Cicero in Officijs. Tanta uis est & loci, et temporis, ut si quis

Illis cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur. At hoc idem si in conuiuio faciat, inhumanus uideatur inscitia tēporis. Transuersim hirquis intueri) Vergiliana imitatio in Palaemone: Transuersa tuentibus hirquis. Mulieres ornat silentium.) Teste Sophocle in Aiacemastigo γυναιξὶ κόσμιον ἡ σιγὴ φέρει. i. Mulieribus ornatum adfert silentium. Sed magis pueritiam) Non enim abs redictum est ab Euripide:

Νέῳ δὲ σιγᾶν μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει, Id est.
Iuuenem tacere plus decet quàm sæpe loqui.

☞ TEXTVS.

Quidam respondent priusquā orationem finierit qui cōpellat, ita sæpe fit, ut aliena respondens sit risui, detq; ueteri locū prouerbio, ἅμας ἀπῄτουν. Docet hoc rex ille sapiētissimus, stultitiæ tribuens, respondere priusquàm audias, nō audit autem qui non intellexit. Si minus intellexit per contantem, paulisper obtiescat, donec ille quod dixit sponte repetat. Id si non facit, sed responsum urget, blande ueniam præfatus puer, oret, ut quod dixerit, dicat denuo. Intellecta per contatione, paululum interponat moræ, deinde tum paucis respōdeat, tum iucundè. In cōuiuio nihil effutiendū, quod offuscet hilaritatem. Absentium famam ibi lædere, piaculum est. Nec cui quam illic suus refricandus est dolor. Vituperare quod appositum est, inciuilitati datur, & ingratum est conuiuatori. Si de tuo præbetur conuiuiū, ut excusare tenuitatē apparatus urbanum, ita laudare, aut cōmemorare quanti singula constiterint in suaue profecto condimentum est accumbentibus. Denique si quid à quoquam in conuiuio fit rusticius per imperitiam,

ciuiliter dissimulandum potius quàm irridendum. Decet com-
potationem libertas. Turpe est, sub diuum, ut ait Flaccus, rap-
re, si quid cui super cœnam excidit incognantius. Quod ibi fi-
dicitur ue, uino inscribendum, ne audias, μισῶ μνάμον
συμπόταν. Si cōuiuiū erit quàm pro puerili ætate prolixi-
& ad luxū tendere uidebitur, simul atq; senseris naturæ fa-
tum satis, aut clam, aut ueniam precatus te subducito. Qui pu-
erilem ætatem adigunt ad inediam, mea quidem sententia, in-
sanitūt, neq; multo minus ij, qui pueros immodico cibo diffar-
ciunt. Nam ut illud debilitat teneri corpusculi uiriculas, ita ho-
animi uim obruit. Moderatio tamē statim est discenda. Cit-
plenam saturitatem reficiendum est puerile corpus, magis
crebrò quàm copiose. Quidam se saturos nesciunt, nisi dū in-
distentus est uentriculus, ut in periculum ueniant ne dirūpa-
tur, aut ne per uomitum reijciat onus. Oderunt liberos, qui-
los etiamnū teneros cœnis in multam noctem productis pe-
petuo sinunt assidere. Ergo si surgendū erit à prolixiore co-
uiuio, quadram tuam cum reliquijs tollito, ac salutato qui ui-
tur inter conuiuas honoratissimus, mox & alijs simul, disce-
to: sed mox rediturus, ne uideare lusus aut alterius parum h-
nestæ rei gratia te subduxisse. Reuersus ministrato, si quid c-
pus erit, aut reuerētur mensæ assistito, si quis quid iubeat, ex-
pectans. Si quid apponis aut submones, uide ne cui uestem i-
re perfundas. Candelam emuncturus prius illam è mensa to-
lito, quodq; emunctū est, protinꝰ aut harenæ immergito, a-
solea proterito, ne quid ingrati uidoris offendat nares. Si q-
porrigis infundisue, læua id facias caueto. Iussus agere grati-
as, compone gestus, paratum te significans, donec silētibus c-
uiuis dicendi tempus adfuerit. Interim uultus ad conuiui-

præsi-

præsidentem reuerenter uersus sit, & constanter.

SCHOLIA.

ἅμας ἀπῄτουν) *id est falces petebam, alius forte non intelligens, negabat se habere ligonem, respondens quòd nihil ad rem attineret, consule Chiliades. Docet hoc rex ille sapientissimus) Prouerbiorum decimo octauo. Sub dium (ut ait Flaccus) Est apud Horatium libro primo Odarum carmine uigesimo octauo, in quo bacchum alloquitur, non uelle se secreta eius in uulgum proferre.*

Non ego te audide Bassareu
Inuitum quatiam, nec uarijs obsita frondibus
Sub dium rapiam.

Bassareus, Bacchus dicitur à uestibus bacchantium mulierũ in Thraka, quas βασσάρας appellabant, teste Hesychio. Μοσῶ μνάμονα συμπόταν) *Id est, odi memorem compotorem, Dorica dialecto pro μισῶ μνάμονα συμπότην. Solet dici in illos qui amicorum dicta liberius inter conuiuandũ mox eliminant, hæc enim non oportet proferre, imò ne omnino quidem reminisci. Pindarus uates in Nemeis hymno decimo, sympesium silentio gaudere cœnit, ἡσυχίαν δὲ φιλεῖ ἡ συμπόσιον. Et Stobæus in collectaneis, titulo de abstinentia & temperantia ex Antisthene refert Baccho, hoc est, conuiuarum præsidi νάρθηκα & λήθας. i. ferulam, & obliuiones propterea consecratas, tanquam nõ opportunum mensæ delictorum obliuisci. Et Pindarus hymno. 1. Olympiorum, Tantalum tantas pœnas pati autumat, quod deorum mysteria inter conuiuandũ dicta, euulgauerat. Hoc & docet Galli epigram malarij carmen, quod in imaginem Tantali scriptum est, cuius duos postremos uersus huc adscribere non absurdũ existimo.*

Τῦτο λέγει δὲ τόρευμα καὶ ὄργια μάνθανε σιγῆς
Οἱ γλώσσῃ προπετεῖς ταῦτα κολαζόμεθα.
Hæc pictura monet, legum bibe docte tacendi
Garrulus hac pœna est affidendus homo.
Moderatio statim discenda est) Vide Gell. ca. 19. li. 4. Et apud Ciceronem optimum est præceptum Catonis, Tantũ cibi & potionis adhibendum, ut refidantur uires, non opprimãtur. Phocylides etiam poëta sanctissimus modũ hunc approbat.
Μέτρῳ μὲν φαγέειν καὶ πιεῖν καὶ μυθολογεῖν.
Edere mensura & bibere ac tu fare memento.

☞ DE CONGRESSIBVS.

TEXTVS.

SI quis occurrerit in uia, uel senio uenerãdus, uel religione reuerendus, uel dignitate grauis, uel alioqui dignus honore, meminerit puer de uia decedere, reuerenter aperire caput, nonnihil etiam flexis poplitibus. Ne uero sic cogitet, quid mihi cum ignoto, quid cũ nihil unquàm bene de me merito? Non hic honos tribuitur homini, non meritis, sed deo. Sic deus iussit per Solomonẽ, qui iussit assurgere cano: sic per Paulũ q presbiteris duplicatũ honorẽ præcipit exhibere, in summa, omnibus præstare honorem quibus debetur honos, complectens etiam ethnicum magistratum, & si Turca, quod absit, nobis imperet, peccaturi simus, si honorẽ magistratui debitum illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus secundum Deum primus debetur honos. Nec minor præceptoribus, qui mentes hominum quodammodò dum formant, generant. Iam inter æquales illud Pauli locum habere debet, honore inuicem præuenientes. Qui parem aut inferiorẽ honore

nore præuenit, non ideo fit ipse minor, sed ciuilior, & ob id honoratior. Cum maioribus reuerenter loquendum, & paucis, cum æqualibus amanter & comiter. Inter loquendum pileum læua teneat, dextra leuiter admota umbilico: aut quod decentius habetur, pileum utraq; manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum. Librum aut galerũ sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum. Oculi spectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesq;, nihil procax improbumue præ se ferentes. Oculos in terram deijcere, quod faciunt catoblepæ, malæ conscientiæ suspitionẽ habet. Transuersim tueri, uidetur auersantis. Vultum huc illuc uoluere, leuitatis argumentum est. Indecorũ est interim uultum in uarios mutare habitus, ut nunc corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur superilium, nunc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur: hæc animum arguunt Protei similem. Indecorũ & illud, concusso capite iactare comam, sine causa tussire, screare, quemadmodum et manu scabere caput, scalpere aureis, emungere nasum, demulcere faciem, quod est ueluti pudorem abstergentis, suffricare occipitium, humeros adducere, quod in nonnullis uidemus Italis. Rotato capite negare, aut reducto accersere, & ne persequar omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut uirum interdum deceat, puerum minus decet. Illiberale est iactare brachia, gesticulari digitis, uacillare pedibus, breuiter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multum abhorrens à picarum moribus Vox sit mollis ac sedata, non clamosa, quod est agricolarum: nec tam pressa, ut ad aures eius cui loqueris non perueniat. Sermo sit non præceps, & mentem præcurrens, sed lentus &

explanatus. Hoc etiam naturalem battarismum aut hæsitan-
tiam, si nõ in totum tollit, certè magna ex parte mitigat, quo
præcipitatus sermo multis uitium conciliet, quod non dederat
natura. Inter colloquendum subinde titulum honorificum eius
quem appellas repetere ciuilitatis est. Patris ac matris uocabu-
lo nihil honorificentius, nihil dulcius. Fratris sororisue nomine
nihil amabilius. Si te fugiunt tituli peculiares, omnes eruditi
sunt tibi præceptores obseruandi: omnes sacerdotes ac mona-
chi, reuerendi patres: omnes æquales, fratres, & amici: breui-
ter omnes ignoti, domini: ignotæ, dominæ. Ex ore pueri tur-
piter auditur iusiurandum, siue iocus sit, siue res seria. Quid
enim turpius eo more, quo apud nationes quasdam ad tertium
quodq; uerbum deierãt etiam puellæ, per panem, per uinum,
per candelã, per quid non? Obscœnis dictis, nec linguam præ-
beat ingenuus puer, nec aures accommodet. Deniq; quicqui
inhonestè nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur aur-
bus. Si res exigat ut aliquod membrum pudendum nomine-
tur, circumitione uerecunda rem notet. Rursus, si quid incide-
rit, quod auditori nauseam ciere possit, ueluti si quis narret u-
mitum, aut latrinam, aut oletum, præfetur honorem auribus.
Si quid refellendum erit, caue dicat, haud uera prædicas, præ-
sertim si loquatur grandiori natu, sed præfatus pacem dicat,
mihi secus narratum est à tali. Puer ingenuus cum nemine con-
tentionem suscipiat, ne cum æqualibus quidem, sed cedat po-
tius uictoriam, si res ad iurgium ueniat, aut ad arbitrium pro-
uocet. Ne cui se præferat, ne sua iactet, ne cuiusquam institutum
reprehendat, aut ullius nationis ingenium moresue sugillet,
ne quid arcani creditum euulget, ne nouos spargat rumores,
ne cuius obtrectet famæ, ne cui probro det uitium natura in-

situm

tum. Id enim non solum contumeliosum est & inhumanum, sed etiam stultum: uelut si quis luscum appellet luscum, aut loripedem loripedem, aut strabum strabum, aut nothum nothum. His rationibus fiet, ut sine inuidia laudem inueniat, & amicos paret. Interpellare loquentem antequam fabulam absoluerit, inurbanum est. Cum nemine simultatem suscipiat, comitatem exhibeat omnibus, per paucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eósque cum delectu. Ne cui tamen credat, quod tacitum uelit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non præstes. Nullus autem est adeo linguæ continentis, ut non habeat aliquē, in quem transfundat arcanum. Tutissimum autem est nihil admittere, cuius te pudeat, si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curiosus, & si quid forte conspexeris, audiueris ue, fac quod scis nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri parum ciuile est. Si fors te præsente scrinium suum aperit aliquis, subducito te, nam inurbanum est inspicere, contrectare aliquid, inurbanius. Item si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium, submoue te dissimulanter, & in eiusmodi colloquium ne temet ingeras non accitus.

SCHOLIA.

Vel semo uenerandus, uel religione reuerendus.) Iuxta præceptum illud Græcorum:

Αἰδοῦ δὲ πολιόκρο τάφους, ἔικεις δὲ γέρουσιν
Ἔβρης καὶ γεράων τούτων. Id est,
Tu canos uenerare senes, æde honoribus atq;
Sedibus his.

Sic per Paulum.) Prima Timothei quinto. Illud Pauli locum habere. Ad Romanos capite duodecimo. Librū aut galerum

sub axilla. Horatius libro Epistolarum primo. Vinnio cuidam negotium dat perferendorum suorum librorum ad Augustum, sed hoc mandato:

Simul ac perueneris illuc
Sic positum seruabis onus, ne fortè sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum, &c.

Quod faciunt Catoblepæ.) De hac bestia ita Plinius libro octauo, capite uigesimo primo. In Aethiopia fons est Nigris, iuxta hunc fera appellatur Catoblepas, modica alioqui, cæterisq; membris iners, caput tantum graue ægrè ferens, id deiectum semper in terram. Habet autem hoc animal ex ipsa re nomen, nam Græcis κάτω deorsum, & ad terram uersus significat: βλέπειν uerò, uidere. Protei similem.) De Proteo lege quartum librum Georgicōn, & quartum ὀδυσσείας Homericæ. Turturum esse fertur.) Turtures etiam postica parte loquaces, ut testantur collectanea adagiorum Græca, & Erasmus in Chiliadibus. Motacilla auicula notissima caudam semper quatiens σεισουρίς à Græcis appellatur. Battarismum.) Id est, balbutiem & hæsitantiam impedimentumq; linguæ: ἀπὸ τοῦ βατταρίζειν, quod est balbutire, uide Chiliades. Sed cedat potius uictoriam) Consultius erit hoc, taceo prudentius, si Euripidis credendum est uersibus, quos citat Plutarchus:

Δυοῖν λεγομένοιν θατέρου θυμουμένου.
Ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις, σοφώτερος,

Hoc est, duobus contendentibus altero irato, qui nō repugnat uerbis est prudentior. Ne cui tamen credat, quod tacitum esse uult.) Nihil enim difficilius, ut dicere solitus Aristoteles, quam σιωπᾶν ἅδει μὴ λέγειν, Id est tacere, quæ non oportet dicere.

DE LV.

☞ DE LVSV.

TEXTVS.

IN lusibus liberalibus adsit alacritas, absit peruicacia rixarum parens, absit dolus ac mendacium: nam ab his rudimentis proficiscitur ad maiores iniurias. Pulchrius uincit qui cedit contentioni, quàm qui palmam obtinet. Arbitris ne reclamita. Si cum imperitioribus certamen est, poßisq; semper uincere, nonnunquam te uinci patere, quo ludus sit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te superiorem esse nescias. Animi causâ ludendum est, non lucri gratiâ. Aiunt puerorum indolem nusquam magis apparere quàm in lusu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad uiolẽtiam, ad arrogantiam propensius ingenium, hic emicat naturæ uitium. Proinde puer ingenuus non minus in ludo quàm in conuiuio sui similis sit.

☞ SCHOLIA.

In lusibus liberalibus) id est, honestis. Aiunt puerorum indolem nusquam magis apparere.) Putat & hoc Quintilianus libro primo capite quarto: Mores quoque, inquit, inter ludendum simplicius se detegunt. Neque adeo puerorum mentes solum in ludicris perspiciuntur: uerum etiam lusus uiros, quales intus sunt aperit, & tanquam conspiciendos præbet, testantur hoc Epigrammate quodam Græci, quod quia ἐπιγραμματικώτατον, hoc est, lepidißimum est, meminimus & adscripsimus, quibus autem hæc Græcorum rhapsodia stomachum facit, consilio nostro transmittat.

ἐξόμενος μὲν τῇδε παρ' εὐλοίγγι τραπέζῃ
Ῥαίγνια κινήσης τερπνὰ βολοκτυπίης.

ε δὲ νικήσας μεγαλίζεο, μήτ' ἀπολειφθείς
λχνυσο, τὴν ὀλίγην μεμφόμενος βόλιδα.
γαρ ἐπὶ σμικροῖσι νόος διαφαίνετ' ἀνδρός.
καὶ κύβος ἀγγέλλει βένθος ἐχεφροσύνης.

Quæ sic ruditer transcripta sunt.

tra placet dum mensa loquax, abacoq; delectat
Rem gerere, & iactus ludere multiplices.
peras, gloriare caue: si uictus abibis,
Non doleas, talis nec maledic leuibus.
us inexiguis animus cognoscitur, omne &
Ingenium mentis parua tabella notat.

☞ DE CVBICVLO. TEXTVS.

IN cubiculo laudatur silentium & uerecundia. Certe clamor & garrulitas indecora est, multo magis in lecto. Siue quum exuis te, siue quum sur, memor uerecundiæ, caue ne quid nudes aliorum oculis, d mos & natura tectum esse uoluit. Si cum sodali lectum eas communem, quietus iaceto, neque corporis iactatio uel teipsum nudes, uel sodali detractis pallijs sis mole. Priusquam reclines corpus in ceruical, frontem & pe signa crucis imagine, breui precatiuncula temet Christo mendans. Idem facito, quum mane primum temet erigis, recatiuncula diem auspicans: non enim potes ab omine fœre. Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, nisi us lota facie, manibusque & ore proluto. Quibus con nt bene nasci, his turpe est generi suo non respondere moribus.

Digitized by Google

moribus. Quos fortuna uoluit esse plebeios, humiles aut etiam rurestres, his impensius etiam adnitendum est, ut quòd sors inuidit, morum elegantia pensent. Nemo sibi parentes aut patriam eligere potest, at ingenium moresq; sibi quisq; potest fingere. Colophonis uiæ addam præceptiunculam, quæ mihi uidetur propemodũ primo digna loco. Maxima ciuilitatis pars est, quũ ipse nusquã delinquas, aliorũ delictis facile ignoscere, nec ideo sodalẽ minus habere charum, si quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morũ ruditatẽ alijs compensent dotibus. Neq; hæc ita præcipiuntur, quasi sine his nemo bonus esse possit. Quod si sodalis per insciam peccet, in eo sanè quod alicuius uidetur momenti, solũ ac blandè monere ciuilitatis est.

EPILOGVS.

Hoc quicquid est muneris, Henriæ fili chariss. uniuerso puerorum sodalitio per te donatũ esse uolui, quo statim hoc cõgiario simul & commilitonũ tuorum animos tibi conciliés, & illis liberalium artium ac morum studia commendes. Præclaram indolem tuam Iesu benignitas seruare dignetur, semperq; in melius prouehere. Datum apud Friburgum Brisgoiæ. Mense Martio, Anno. M. D. XXX.

SCHOLIA.

At ingenium.) Hoc est, quod dixit Tullius: Ipsi autẽ quã personam gerere uelimus, à nostra uoluntate proficiscitur. Colophonis uiæ addam.) Id est, tanquã rem maxime necessariam. Vide prouerbium, Colophonem addidit. Maxima ciuilitatis pars est.) Non retinentur amici, nisi eorum mores ac errata tolerare sciamus: quare doctè sanè, ut omnia, præceptum est à Græcis φίλου τρόπους γίνωσκε, μισήσης ἢ μή.

Quæ

Qui senarius ita ἐν τοῖς Porphirionis uersus est: Mores aut ci noueris, non odoris. Et Horatius non uult amicum, qui non uitia cum uirtutibus æquo libramine examinet. Ideo autem uitijs amicorum debemus ignoscere, ut illi uicissim nostra ferre discant: Vitijs enim nemo sine nascitur. Optimus ille est, qui minimus urgetur. Hoc quicquid est ἐπίλογος est commentarioli. Hoc congiario simul.) Congiarium dicebatur, quod ab imperatoribus liberalitatis causa, & ultra solitum stipendium militibus dabatur, quo sibi eorum animos, tanquam auctario quodam conciliarent. Herodianus, λαμπρὰς καὶ μεγαλοφρόνας ἐπιδόσεις uocat, id transpositum, splendidas & magnificas additiones sonat. Et huc usq; Scholia nostra in usum puerorum quorundam tumultuariè adiecta protraximus: semper & libentes emendaturi, si quid à uarietate iudiciorum desideretur.

FINIS.

☞ DE RATIONE STVDII ex Rodolpho Agricola.

IN studijs formandis duo præcipuè spectanda sunt: Primum, quod studiorum genus maximè sectari uelis: Secundum, qua ratione in eo quod elegeris plurimum efficias.

De primo, si facultatum uberior copia, & fœlicior ingenij uis tributa est, quantum in te est, totis uiribus ad optima te conferto.

Artes sic rectè ab infantia discas, si quod apud probatos authores legeris, idipsum quammaximè proprijs & idem significantibus uerbis reddere uernaculo sermone coneris: ut

quo

Digitized by Google